



Specimen juris publici universalis de limitibus imperii civilis

<https://hdl.handle.net/1874/295261>

SPECIMEN JURIS PUBLICI
UNIVERSALIS
DE
LIMITIBUS IMPERII
CIVILIS.

QUOD,
FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

ALEXANDRI PETRINA HUYS,

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Placido Eruditorum Examini Submittit

WILLEM EVERHARD BERTRAM DRIELING,

CLIVENSIS, CIVIS TRAJECTINUS.

Ad diem XXVI. Januarii MDCCCLXXXI. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXXI.

STCWMEN LERIS PRATCI
UNIVERSITATIS

18.

LIMITIBUS IMPERII
CIVILIS

ANNO OCTOGINTA
TERTIUM OMNIA NOMINA
EX MAGISTRIS MAGISTERIIS RECUTORIBUS

EX ALEXANDRICO DIRECTIONS

EX CLOACIS ET PLACOIS MAGISTERIIS RECUTORIBUS

*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
GRAVISSIMO*

HENRICO AB ASCH A WYCK,
J C T O.

CIVITATIS TRAJECTINÆ SENATORI, CONSUL-
ARI, CUM MAXIME SCABINO, ATQUE PRÆ-
SIDI COLLEGII RATIONUM EJUSDEM UR-
BIS CURANDARUM &c. &c.

CONSOBRINO PER AFFINITATEM JUNCTO,
PROPTER MULTA BENEFICIA PATRIS LOCO
SIBI COLENDΟ,

Hoc specimen sacrum facit

A U C T O R.

ALIO VOBISIMO, ANTIQUISSIMO.

CRASSIMO

HENRICO AVASCHE WACK
IC TO.

Homines enim ad Deos nulla re proprius accedunt,
quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec
fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua
melius, quam ut velis servare quam plurimos. Cice-
ro Orat. pro Q. Ligario C. 12.

CONSORIUM PER ALIUM TATEM IUNCTO
PROPTER MULTA BENEFICIUM PATRIS LOC
SIBI COLLENDI.

Hoc desideria vestra sunt

Auctor.



SPECIMEN JURIS PUBLICI
UNIVERSALIS

D E

LIMITIBUS IMPERII
CIVILIS.

§. I.

 omnes, cum in eo statu sint, ut actiones suas non semper instituant, nec instituere possint convenienter normis a Deo per rectam rationem promulgatis, tum propter nativam facultatis intelligendi infirmitatem, & hinc ortam perversam voluntatis inclinationem, tum propter perversum affectum & animi inclinationum regimen, nec sola suavitate, ex perspecta actionis harmonia cum regulis justi & æqui orta, solide moveantur ad juste agendum, fortiori momento, ut mutua officia jure exigenda praestentur, trahi oportet: metus enim violentæ coactionis, ni alteri

A

præ-

præstemus, quod ipsi perfecte debetur, plurimum nos cohibet a malis perpetratis, multumve pellit ad perpetrata reparanda, & hæc quidem justa erit, cum unicuique notum sit, illa remedia a natura constituta esse, quæ si non adhiberentur, instinctibus seu conatibus animæ humanæ non sine ratione a Deo indicatis tum maxime contrarium foret: metus hic satis efficax erit, si simul animo lædentis obversetur, sibi per vim a læso defensionis causa inferendam seu opponendam quandam privationem jurium seu bonorum adeoque diminutionem felicitatis subeundam esse. Sed quid? si illum, quem adgit tentat, viribus adeo inferiorem viderit, ut ab illo nihil mali metuendum sit: nonne totus hic metus vanus? Quid itaque in tali statu moliendum? Quod refugium? Quæ remedia? Desistere a jure, læso a natura competente, resistendi, & sua jura sarta tecta servandi, esset malum aggravare, adeo ut lædentes faciliores ad aliorum jura lædenda, læsi autem plurim imo omnium jurium privationi obnoxii rediderentur, quæ omnia voluntati Divinæ maxime contraria sunt, hæc enim juste colligitur ex instinctibus naturalibus, quibus quisque fertur ad se suaque conservanda ac omnia repellenda, quæ tenderent ad destructionem sui suorumque jurium: inutile itaque foret desiderium hoc, palmarium illud momentum, in dirigendis actionibus ad felicitatem consequendam, quæ omnia arguunt semper & ubique obligationem se suaque, si necesse sit, per vim defendendi: prudentis tamen est hac in re consilium inire virium suarum, quæ si non sufficerent ad lædentem reprehendendum & ad damni reparationem cogendum, adeoque impar esset viribus lædentis & nihilominus animum præparat vim inferendi seu vi repellendi, remedium malo pejus esset: humana vero societas, ad quam omnes a natura proni & ordinati, eum finem, quo mutua augeatur felicitas, designat, ita ut quidam instinctus nobis insit nos faciles prompto aliorum externa vi injuste aut crudeliter oppressorum auxilio reddant, unde vires læsi impares viribus lædentis per aliorum vires possent suppleri: hæc autem officia soli pudori hominum relieta nec coactionem admittunt, nec admittere debent, ne major confusio societatis humanæ oriatur:

oriatur: hominum tamen desiderium felicitatis, quæ certe obtineri nequit, nisi ab aliorum injuriis tuti sint, ne in cassum abeat, ultro eos impulit, ut sibi invicem obligationem perfectam imponerent mutui auxilii præstandi, adeoque communibus viribus omni vi externæ injuste illatæ resistendi & mutuam felicitatem, quantum possent, promovendi: hoc non aliter fieri potuit, nisi intercedente paœto a pluribus, quantum sufficiunt fini hujus consociationis, initio, quo invicem conjungantur juris fruendi & communis utilitatis causa, quæ societas tum venit justæ civitatis nomine (a).

§. I I.

Principia cognoscendi & eligendi media optime repetuntur ex harmonia finem inter & causam: finis hujus societatis civilis est communis utilitas, securitas, felicitas: in statu naturali felicitas singulorum nullos limites per illam aliorum admittit, sed uniuscujusque proprio judicio relinquitur, quæ optima media felicitati consequendæ sint, quæque eligere velit, nec ulla perfecta obligatione tenetur quandam diminutionem suorum jurium felicitatis aliorum causa subire: in statu vero civili non tantum videndum, quid singulis, sed etiam universe utile sit: ad hoc enim singuli per pactum illud civile se perfecte obligarunt & obligare debuerunt, si fini consociationis satisficeret: sed cum singuli tum pro diversis viribus cognoscendi, diversis gradibus perspicaciae & diversis affectibus ac propensionibus dominantiibus, diverse sentiant, quid utile, quid noxiū sit, tum propter conatum quorundam dissentienti & dissentientium difficultatem semel arreptam sententiam retractandi, nulla fere spes esset

omnes

(a) Hæc definitio Societatis civilis optima habetur & apud Grotium de jure Belli & pacis Lib. I. Cap. 1. § 15. exstat.

omnes intellectu & voluntate conspirare (b), modus certe statuendus erat, quo diversæ & maxime aliquando distantes voluntates in unam colligerentur (c): talis enim societas recte consideratur tanquam subjectum seu persona moralis, cui plures una voluntate adscribere absurdum esset: sicuti ergo in omnisocietate sive majori sive minori naturalis æquitas, si quid ad effectum producetur, docet quandam subjectionem voluntatum illorum, qui numero suffragiorum minores sunt, illis plurium, & quorum sententia victrix tum pro omnium, qui ex illa societate sunt, merito habetur, necessariam esse (d), ita & in societate civili, ut, quæcumque a majori parte huic optima censeantur, a cæteris idem sentiri putetur, necessario requiritur: in constituenta republica sic res sese habet: ab initio, postquam pacatum coalitionis intercesserit, omnia, quæ decernuntur a sociata multitudine circa formam regiminis, tali modo explicari debent.

§. III.

Omnis itaque civitates ab initio & origine sunt Democratiæ (e), adeoque si nihil a populo circa formam regiminis decernatur, (quanquam statui oporteat, quando, quibus de rebus, & quomodo, comitia convocanda sint, & cui hæc potestas competere debeat) & hæc ipsa continuetur in comitiis videndo, quid e republica sit, talem formam tacite adoptasse & præ cæteris probavisse

(b) V. Puffendorf de jure nat. & gent. Lib. 7. Cap. 2. § 5.

(c) Heineccius de jure nat. & gent. Lib. 2. Cap. 6. § 115.

(d) V. Puffendorf loc. cit. § 15.

(e) V. Huberus de jure civit. Lib. 1. Cap. 3. § 25. & seqq. Hertius dissert. de modo const. civit. Sect. 2. § fin., huic doctrinæ adversatur. I. H. Böhmerus introd. in jus publ. univers. p. sp. lib. 1. C. 2. § 23.

bavisse censeri debet. In hac itaque forma voluntates & vires singulorum subiectæ sunt voluntati majoris partis quod ad rem salutemque publicam, & summa potestas manet tum penes subiectum commune summi imperii sive ipsum populum, unde tum forma regiminis Democratica nascitur, præter quam Aristocratica vel Monarchica a populo eligi potest: illa tunc locum habet, quando penes optimates civitatis exercitium imperii civilis seu jura majestatis sunt, hæc autem, si illud uni personæ Physicæ collatum sit (f): hæc formæ regiminis regulares seu simplices respectu irregularium (quæ denominatio hoc in casu in malam partem haud sumenda est) seu mixtarum vocantur: mixtæ autem sunt, quæ ex Monarchia & Democratia, ex Monarchia & Aristocracia, ex Aristocracia & Democratia, vel ex tribus simplicibus conflatae sunt (g), licet aliquando a potiori causa denominatio fiat (h): plures respuplicæ, plures civitates in unam, salva tamen unicuique sua independentia, per foedus quoddam coalescere possunt majoris securitatis causa, ita ut quedam jura majestatica præcipue sic dicta transeuntia communiter exercantur (i): in his omnibus formis tum simplicibus tum mixtis, quæ optima in abstracto sit, non recte definiri potest (k), sed in con-

(f) V. Puffendorf de jure nat. & gent. Lib. 7. C. 5.

(g) Has non dari nec locum obtinere posse perhibet Böhmerus loco citato Lib. 1. Cap. 3. § 25. & 26. Controversiam etiam movet Puffendorf de j. nat. & g. L. 7. C. 5. § 13. & Seqq. & in dissert. de republ. irregular.

(h) V. Heineccius de J. n. & g. L. 2. C. 6. § 118.

(i) Ut 13. civitates Helveticas & in Belgio nostro Septem civitates foederatae. V. Otto notitia rerum publ. C. 6. Sect. 5. § 3c.

(k) V. Puffendorf de I. n. & g. L. 7. C. 5. § ult. Quanquam Monarchicam non optimam esse formam regiminis doceat V. der Muelen conscientia foro pag. 376. e contrario hanc optimam censem, Mariana de Regge & Regis instit. L. 1. C. 2. pag. 18. & Hobbes de cive C. 10. Sed Schelius de libertate publ. pag. 13. populi et optimatum imperia regno longe præfert. Polybius Hist. 1. pag. 628. P. Burmannus major Orat. VII. de feliori vivendi condit. in rebus publ. quam in regnis pag. 110. seqq. ut & Price nadere aenmerk. over den aard der Burgerlyke vryheid pag. 40.

concreto nempe talis, quæ 10. genio populi accommodata est: in omnibus, consuetudinibus, climate seu coeli & terræ situ cum populi maxime inter se diversi sint, diversæ formæ regiminis vel ab hoc vel ab illo adoptentur necesse est: 20. quæ quam maxime felicitatem & securitatem civium promovet, 30. quam minime libertati naturali derogat, & 40. quæ minimis incommodis affecta est: fors enim omnium harum est, quod suis oneratæ sint incommodis: simplices vero formæ vitiosæ sunt, si Monarchia in Tyrannidem, Aristocracia in Oligarchiam, & Democratia in Ochlocratiam degenerent (1).

§. IIII.

Quæcunque itaque formæ regiminis (m) decretæ acceptæ & persona vel personæ, pro ut forma est, electæ sunt, semper pactum sive expressum sive tacitum cives inter & imperantes intercedit, quo sibi invicem obligantur ea omnia facere, quæ fini societatis civilis convenient, & ea omnia omittere, quæ huic contraria sunt, scilicet a parte summi imperantis, ut optima media eligat, quibus securitas & felicitas civitatis maxime conservetur & promoveatur, a parte vero populi se subjicientis, ut in

(1) V. Heineccius loc. cit. § 117. & Puffendorf de officio hom. & civ. L. 2. C. 8. § 11.

(m) In Democratica forma non ita necessarium videtur admitti hoc pactum, quanquam Puffendorf de j. n. & g. L. 7. C. 2. § 8. tacitam conventionem supponit. Quæ tamen non aliter considerari potest quam unilateralis, nempe a parte eorum, qui in comitiis numero minores sunt suffragiorum, ut ea, quæ major pars statuat, tanquam ab omnibus statuta esse habeantur. Hæc autem obligatio sponte profluit ex ipsa electione formæ regiminis Democraticæ & natura societatis civilis; cætera, quæ hoc pacto secundo continentur, ex pacto primo ultiro sequuntur.

omnibus, quæ fini societatis civilis haud contraria sunt, summo imperanti obedientiam præstet, & talem potestatem & jura, quæ fini, cuius causa summus imperans constitutus sit, consequendo necessaria sunt, concedat: idem pactum etiam tacite (n) in omni civitate, ubi imperium penes subjectum a populo diversum est, tuto supponitur & quidem necessario, quia hoc ex fine societas civilis & ipsius delationis imperii profluit (o): Sicuti relatio illa, quæ ex pacto unionis civilis oritur, quamque omnes ad se invicem cives habent, non naturalis seu homini connata est, sed ex facto quodam externo ortum dicit ac proinde adventitia est, sic etiam, omnes effectus hinc orti eandem sortiantur naturam, necesse est: si civitas post pactum consociationis originario suo statui relinquitur & imperium penes subjectum commune, id est ipsum populum maneat, uti manet, si nullo præcedente actu, unde omnis mutatio status reipublicæ pendet, de transferendo illo nihil agitur. (posito, civitatem esse libaram) nullus neque persona physica, neque moralis, ullum jus circa imperium civile summum sibi arrogare potest: civitas omnis libera in speciem quandam subjecti moralis, rationalis, cadit: conditiones effectuum sequuntur conditiones causarum seu qualis causa talis effectus: omnes itaque actiones, mutationes, rationales sint, id est haud bruto modo, sed proprio principio, spontaneo libere ad certum & communem finem determinetur civitas oportet: omnia proinde quod ad statum civitatis mutationum principia petenda sunt ex consensu illius, ubi hic deficit, illæ nullo nituntur fundamento atque proinde injustæ illegitimæ neque proprii effectus civitatis habendi sunt: nunquam

(n) V. Puffendorf de jure n. & g. Lib. 7. C. 2. § 8.

(o) Male itaque Hobbes de cive Cap. 7. § 12. docet monarcham nullis pactis cuiquam ob receptum imperium obitringi, sed hæc doctrina & plures aliæ falsæ nituntur falsis hypothesis — Summo imperante electo, populum dissolvi, personæ vicem non amplius gerere, adeoque obligatio-
nis non amplius capacem esse: sed de quibus inferius.

quam ideoque eminentior præ cæteris concivibus potentia, excellētia, dignitas, vires, cæteræque virtutes, ullum ad eum evenhere possunt statum, quo his solis in concives summum arriperet imperium. Quæ cum ita sint, nullum imperium in omni civitate libera, quum hoc in personam a subjecto communi diversam delatum sit, legitimū erit, nisi a consensu civitatis originem & fundamentum duxerit: si nullum imperium, nisi consensu populi seu civitatis nixum, datur & hæc semper in suis actionibus finem communem eundemque, quem in contrahenda societate petet, ob oculos habeat, sequitur per delationem imperii in personam sive moralem sive physicam a se diversam, hunc eundem finem respexisse, quum autem hæc conditio sit, sine qua civitas non possit intelligi delationem imperii facere propter affectiones civitatis, quas mox dedimus, & delatum tamen imperium adgrediatur imperans seu ille vel illi, qui hanc in rem designati sunt, non potest, quin consensus ab utraque parte ad idem objectum profluat, atque sic pactum oriatur. Promissis autem populi semper conditio inest, quibus imperans pure & simpliciter nunquam non stare tenetur. Utique parti hac in causa eadem & æqualis obligatio incumbit ea, quæ hoc pactum in se continet, servandi, seu idem & æquale jus, ut promissa serventur, petendi: utraque pars induit personas pacientes, quæ hoc respectu æquales sunt, quibusque adhucdum alteri præ altera nulla prærogativa competit, quæ demum hoc pacto perfecto inducit: immo hæc ipsa licet inducta sit, manent tamen partes pacientes æquales quoad jus exigendū, ut pactis contenta praestentur: imperans enim hac in causa non qua talis pacisciatur, neque populum, ut ita dicam, repræsentat: secum ipso populus pacisci nequit, sed tum imperans rete consideratur tanquam individuum totius corporis seu socius societatis.

§. V.

Materia, circa quam hoc pactum secundum versatur, est tum obligatio civium & imperantium tum delatio imperii, quod vocatur summum *διυπεύθυνον*, & qui hoc gaudent summi imperantes audiunt, ideo, quod alterius juri non subsunt, nec actus eorum ab alio tanquam superiore irriti possunt reddi (p), quanquam nonnulli (q) summam potestatem sine exceptione esse volunt populi (r), & distinctionem majestatem realem inter & personalem faciunt, illam populo hanc summo imperanti adscribentes. Sed contradictionem involvit simul quid transferre & hoc ipsum retinere, summo enim imperio alicui tradito, hoc ipso se abdicat populus. Alterutrum itaque eligendum est, vel, si verum sit, quod sumnum imperium semper sit penes populum, semper Democraticam formam locum habere, vel, si posterius falsum sit, etiam hanc sententiam Monarchomachorum falsam esse necesse est (s). In libera itaque civitate, quæ alterius arbitrio

non

(p) V. Grotius de jure B. & P. L. 1. C. 3. § 7 & Anonymus in tractatu de jure magistratum in subditos & officio subditorum erga Magistr. Quest. 2. pag. 210 — male itaque regem a populo leges accipere, in bene constitutis regnis statuitur ab I. S. Bruto in vindicis contra Tyran: Quest. 3. pag. 103. & in jus vocari posse a Mariana, de Rege, & Regis instit. L. 1. C. 6. pag. 57. ut & a Price aanmerkingen over den aard der Burgerlyke vryheid de afd. pag. 7 — dat de Burgerregeering haer gezag oeffent onder het opzicht van het volk.

(q) Hui vocantur Monarchomachi, quod quasi omni Monarchiæ bellum indexerunt, & Imperantium potestatem nimis restringunt, quorum argumenta refutantur a Grotio loco, cit. Hertio Dissert. an lumina rerum semper sit penes populum Sect. 3. Puffendorf de j. n. & g. L. 7. C. 6. § 5. & Seqq. & pluribus aliis: his datur opposita Secta, quæ nimis procedit in concedendis juribus principi competentibus, & Machiavellistarum nomine venit. Sed pluribus de his infra.

(r) V. Grotius loc. cit. L. 1. C. 3. § 8.

(s) V. Puffendorf de j. n. & g. lb. 7. C. 6. § 4.

non regitur, tale imperium solummodo deferri potest. Ab hac detatione imperantes jura sua metiti debent, & ex hac sola intelligi potest, num quis summa an summa minore gaudeat potestate. Hoc discrimen itaque haud petendum est simpliciter ex electione & successione, hæc præ illa nullas prærogativas habet seu majora jura tribuit, sed omnia pendent a prima electione, ut quatenus hæc vel cum ampliore vel minus ampla potestate conjuncta sit, eatenus etiam successio: hæc enim nihil aliud est, quam continuatio veteris electionis (t). Nec nimis etiam fidendum est titulis vel externæ rerum speciei, quæ quandoque fallunt: sic eum, qui nomen regis gerit, non semper sequitur imperium summum (u): e contrario qui minori titulo gaudent maijore aliquando potestate pollut (v). Sic & insignia regia (w), homagium præstitum, preces publicæ, jus tributa exigendi nondum arguunt summum imperium, nec magis hoc agnoscendum est ex diuturnitate temporis, quod nihil facit ad rerum essentias, nec aliud est, quam quoddam relativum seu ens rationis, quod falsis rerum essentiis adesse vel abesse potest, ideoque imperium licet temporarium potest esse summum (x), ita & precarium (y), id est revocabile quandocunque concedentilibet, actus enim imperii ante revocationem independenter (posito quod summum imperium qua tale precario concessum sit) exerciti fuerunt, licet postea tota facultas adimatur: contrario enim admisso simul

(t) V. Grotius loc. cit. lib. 1. C. 3. § 10. n. 5.

(u) Uti videre licet in ducibus Lacedæmoniis, qui reges quidem dicti Ephoris tamen Subiecti erant. V. Polybius Lib. 6. C. 8. & C. Nepos in vit. Agesil. Cap. 1.

(v) Uti Imperatores Romani, qui principes vocabantur.

(w) Hæc coronationi Ducum Venetiarum adjunguntur, qui tamen nulla nisi suadendi potestate gaudent.

(x) Exemplo sunt Dictatores & Decemviri Romani, qui, tribus viris, qui legum colligendarum in Gæciam missi erant, triennio post reversis, summa cum potestate constituebantur, per quos Civitas fundaretur Legibus, Dion Halicar: Lib. X. Cap. 64, 65.

(y) Contra Grotium loc. cit. § 10. n. 3.

simul admittatur, statum interea temporis Anarchicum fuisse, necesse est.

§. V I.

Imperium civile seu potestas civilis, quæ est facultas moralis civitatem gubernandi (z), a nonnullis (a), per modum substantiæ concipitur, quæ attributa sua seu affectiones quoque habet; 1o. quod sit summum, 2o. legibus civilibus solutum, 3o. sanctum (b). Prior affectio, si imperium hoc abstracte consideratur, sequitur ex idea civitatis liberæ, & ita se etiam habet in concreto, si tale, quale a libera civitate deferri potest, coidam subiecto delatum sit. Prior affectio confirmat secundam, dummodo distinctio adhibetur inter actus eorum, qui imperio civili gaudent, qua summi imperantis & actus qua privati: illi publici tanquam ipsius populi, cujus vicem eo respectu summus Imperans gerit, habendi & legibus civilibus non naturalibus soluti sunt. Populus enim se ipso haud superior est nec ab alio (per hypothesisin, hunc liberum esse), dependens, adeoque nullus superior illo, ipse sibi obligationem imponere nequit, propterea nec imperans: deficiunt hic termini relatorum. Hi autem legibus civilibus subiecti sunt; una persona physica diversas personas morales pro diversa relatione in se continere potest: sic reginæ qua exercitium imperii civilis maritus subiectus, qua exercitium vero imperii domestici hac superior est, ita & summus imperans duplē personam moralem gerit qua caput reipublicæ & qua socius ejusdem societatis seu privatus: prior principiter

(z) V. Grotius loc. cit. § 6.

(a) V. Otto ad Puffend. de off. hom. & civ. L. 2. C. 9. § 10. & Titius ibid.

(b) V. Otto & Titius loc. cit.

paliter fundamentum habet in posteriore & sine hac in justa ac libera civitate fere concipi nequit, imo posteriorem supponit: finis enim societatis civilis est communis felicitas per omnium, qui ex illa societate sunt, vires, quantum in illis est, promovenda, ad hoc omnes socii se invicem per pactum perfecte obligant. Secundum pactum, quod imperantem inter & populum intercedit, tanquam medium hujc fini necessarium adhibetur & simul illum ad vires & actiones suas convenienter huic fini instituendas obligat: per consensum itaque in finem, cuius causa societas contracta est, omnes fiunt socii ejusdem societatis adeoque & imperans: secundum itaque pactum imperantem non solvit a communi fine sed plus cæteris sociis ad hunc obligat: qua propter quidquid per leges civiles in communem utilitatem statuitur, ad hoc omnes socii obligantur ergo & imperans non qualis sed qua socius privatus (c). Nec his obstat. 1o. Quod nemo in se ipsum imperium habet, neque se ipsum cogere potest: hoc verum quidem est quoad exercitium, non autem quoad obligationem, nec quod illa cessat hanc cessare facit: si enim sic argumentari licet, nulla datur ratio, cur non similiter imperans legibus naturalibus solutus sit: 2o. quod leges civiles semper abrogare potest imperans, adeoque in actibus suis privatis non observare: sed male ab illo ad hoc argumentum ducitur: condendo enim leges civiles summus imperans sequi debet utilitatem communem, & quod societati utile, ut ob-

(c) V. Leg. 4. cod. de Legibus, & L. 3. Cod. de Testam. R. Connarus comment. jur. civil. L. 1. C. 8. Th. Graswinkel de jure majest. C. 6. principem legib. nat. respectu tantum Subditorum solutum facit. Nec est quod cum V. der Muelen in foro conscientiae Quest. 7. pag. 166. distinguamus inter jus civile origine & comprobatione. Z. Huber diss. lib. 2. C. 3. § 6. principem legibus etiam naturalibus facit solutum non quoad obligationem sed quoad coactionem, & poenas, quoanquam civibus vim injustum vi repellendi jus tribuat. Conf. Cocceji Diss. de diversis: actu regis qua reg. & reg. qua privati in comment. ad Grotium lib. 2. C. 4. § 1.

servetur ab omnibus, judicat, ipse observare debet: quam diu autem contraria voluntas quoad certam legem non aperta est, omnes cives in agendo vel non agendo hanc sequuntur & sequi debent, adeoque & imperans, licet concedamus, quod hanc tacite ipso facto mutare possit, si nempe ipse non amplius sese ad eandem componat ac huic contrarios actus edat & edi sinat: communis tamen utilitas hoc in negotio respicienda est, & si talem legem huic non amplius conducere judicet, omnes simul ab obligatione solvat oportet. Tertia affectio imperii civilis summum imperantem ab injuriis tumultum facit, cui resistere nefas est: hoc tamen cum suis exceptionibus admittendum esse postea videbimus. Nihil autem opus est, ut cum aliis (d) affectionem hanc disjunctivam, quod imperium civile sit vel patrimoniale vel usufructuarium, admittamus. Plerumque per patrimoniale imperium intelligitur, quod inter vivos vel mortis causa potest alienari (e): talis potestas, licet a populo imperanti concedi potest, dummodo cum sua exceptione intelligatur, non ita necessario cum notione imperii conjuncta est, ut hoc sine illa juste & legitime explicari non posset. Probe autem tenendum est, hoc jus patrimoniale non eo extendendum esse, ut iidem effectus hoc sequerentur ac sequuntur quod circa res versatur: tum notio justae & liberæ civitatis tum finis hujus hoc nimis probant. Potestas itaque alienandi, si imperanti populus hanc concedat, supponit conditionem, sine qua populus non potuit intelligi talem concessisse: moraliter enim impossibile est, ut populus indifferens sit circa electionem imperantis, num bonus num malus sit, &, si malus eligatur & quidem ejusmodi, quem jura civium misera facere, petulanter & crudeliter projicere populus certo certius prævi-

(d) Puffendorf de j. n. & g. Lib. 7. C. 8. § 16. & Seq. Otto ad Puffendorf. de off. hom. & Civis L. 2. C. 9. § 7. & Huberus de jure Civit. Lib. I. Sect. 3. C. 2.

(e) V. Huberus ibid.

prævidet, tum huic electioni non resisteret: obligatio erga se & finis societatis civilis contrarium dictant: omnes autem actus ex tali jure, sive antecedenter sive prorsus non concessos, ut legitiimi sint, vel expressus vel tacitus populi consensus semper requiriatur. Denominatio vero usufructuarii, effectibus ex usufructu cum affectionibus imperii Civilis collatis, tota corruit: ususfructus enim, si constitutus sit, solummodo respicit commodum utentis fruentis arg. L. 7. pr. L. 9. pr. §. 4. L. 10. D. quib. mod. ususfr. amitt. Usufructuarius non tantum ipse uti frui potest, sed etiam rem fructuariam alteri fruendam concedere, locare, vel vendere potest arg. L. 12. §. 2. L. 38. L. 39. L. 67. D. de ususfr. Et quemadmodum. §. inst. de usu & habito.

§. V I L.

Summo autem imperio delato. deferatur necesse est jus seu facultas moralis civium vires, actiones, jura eo dirigendi, ut fini societatis civilis, cujus adsequendi causa imperium civile constitutum est, satisfiat: ad hunc finem pervenitur per varia media, quæ totidem sunt jura summo imperanti competentia; cui enim jus ad finem competit, jus ad media huic necessaria habeat oportet. Hæc media seu jura optime dispescuntur in immanentia & transeuntia (f): priora tendunt ad felicitatem & securitatem civium internam conservandam, promovendam, & consistunt in potestate Legislatoria, Judiciaria, jure poenas sanciendi & infligendi, dispensandi, aggratiandi, tributa & vectigalia imperandi, dominii eminentis, ministros & magistratus constituendi, in jure circa sacra seu Ecclesiæ, scholas, commercia, monetas cudendas &c.: transeuntia sunt, quæ respiciunt felicitatem & securitatem externam. Quævis civitas recte considera-

(f) V. Heineccius de j. n. & g. L. 2. § 135.

sideratur tanquam persona moralis, quæ sua jura suasque affectiones habet, & cæterarum respectu in statu naturali versatur: hæc jura ab exterorum læsionibus sarta tecta servare, &, quantum honeste fieri potest, augere summi imperantis est, qui hac in causa etiam illam personam moralem repræsentat, ideoque ipsi competere debet jus belli & pacis, foedera pangendi, legatos mittendi &c. (g).

§. V I I I.

Illa jura, in §o. præcedenti memorata, jura majestatis propter dignitatem summi imperii vocantur (h), quæ objective semper ubique ac eodem modo in omni civitate libera obvia sunt: subjective vero diversis modis pro diversis formis regiminis §. 3. memoratis. Pendet a populi voluntate tot & tanta jura majestatica uni vel pluribus subjectis concedere, horum divisionem & renuntiationem libertatis naturalis ita instituere, prout optimum communi saluti & securitati censeat; nullus enim imperandi modus a natura constitutus est, omnes homines eo respectu sunt æquales: inæqualitas omnis præcipue, quæ imperantem inter & subditos intercedit, est quoddam adventitium, cuius fundamentum quærendum est in pacto quodam seu consensu sive expresso sive tacito. Delationi itaque imperii seu pacto illi secundo adjici possunt tales conditiones ac determinations, quæ populo placuerint: hæc plerumque legum fundamentalium nomine veniunt: melius autem pacta fundamentalia seu capitulationes

(g) De Singulis his juribus majest. V. Zieglerus & Heineccius Loc. Cit. Lib. 2. C. 8. & 9. & Puffendorf de off. hom. L. 2. C. 7.

(h) V. Otto notit. rerump. in proleg. Sect. 5. § 34. in schol. Beccan. ni Dissert. 1. C. 3. § 2.

tiones (i) nominarentur. Per hæc pacta in forma regiminis Monarchici efficitur regnum limitatum, si principi limites ponantur vel quoad ipsam facultatem vel quoad exercitium actus (k); limites ipsam facultatem respicientes sunt, quando princeps e.g. nec tributa nec vectigalia exercere potest, nisi consentiente populo vel ordinibus: exercitium vero actus respicientes sunt, si princeps ipsam facultatem quidem retinet, sed illam exercere non potest nisi ad certum modum, sic e.g., ne quibusvis rebus vectigalia imponat, ut ad certam quantitatem tributa exigat, ne bellum offensivum nisi certis sub conditionibus & in certis tantum casibus gerat. In utroque casu quidquid his limitationibus contrarium fit, æque ipso jure nullum est: facultas enim moralis hic deficit, adeoque moraliter impossibile est (l): præterea limitatum etiam fit, si divisio imperii vel per partes potentiales (m), vel per subjectivas instituatur: prima divisio fit, si vel quædam jura majestatis populus ipse reservet, vel quædam certo collegio vel ordinibus & cætera principi concedat (n): secunda, si plura subjecta dantur, quibus summum imperium indivisim inhaeret, sive quando duo pluresve Monarchæ eodem tempore simul

(i) In imperio Romano Germanico sic vocantur, ut & recessus imperii, pax publica. V. Otto notit rerum publ. C. 1. §. 53. Struvius in corp. jur. Publ. C. 6. §. 37.

(k) V. Grotius de j. b. & p. Lib. 1. Cap. 3. §. 16. n. 2.

(l) Contrariæ sententia est Grotius loc. cit.

(m) Quæ sint partes potentiales V. Baumüsteri metaph. § 141, Grotius l. Cit. § 17 — oppugnat hanc doctrinam Heiniccius loc. Cit. § 126. Puffendorf de j. n. & g. L. 7. C. 4. § 9. & Seqq. Sed V. Otto ad Puffend. de off. hom. & Civ. L. 2. C. 7. § ult & Barbeiracius ad eundem locum — Nullam autem absurditatem hæc divisio secum fert, si una pars potentiæ alteram sibi conjunctam habeat, sine qua prior explicari non posset, sed omnes simul partes unam partem exercenti subjectas esse non ita necessario requiritur V. Barbeiracius ad § 11. Puffend. de jur. n. & g. loc. cit.

(n) V. Furstenerius de suprematu C. II. pag. 48.

simul imperium tenent, (o) haud tamen exinde fit forma regimini Aristocratica, in hac enim forma plurimum suffragia vincunt illa pauciorum & pro voluntate omnium habentur: e contrario plures Monarchæ si adsint, omnes simul concurrere debent ad jura majestatica exercenda, sic nulla lex ad effectum deduci potest, nisi omnes simul huic subscriperint: caute tamen circa hoc negotium, nempe quæ regna limitata sint, quæ non, procedendum est: quippe regna, quibus comitia ordinum adduntur, ut sint majus regis consilium, hinc non sunt limitata (p).

Sæpe etiam pactis fundamentalibus adjici solent clausula d'gatoria vel commissoria: derogatoria seu cassatoria (q) est, princeps promittit se pacto in omnibus statutorum, & quidquid contra hoc factum fuerit, ipso jure nullum fore & tum populum juste hac in parte negare posse obedientiam: commissoria vero est (r) conditio pacto adjecta, ut, si princeps illis, quæ pacto continentur, non pareat, hoc irritum sit, princeps imperio privari possit & populus ab obligatione eum tanquam superiorem agnoscendi solvatur. Quod ad priorem clausulam attinet, hæc sequitur ex ipsa pacti natura, & licet expresse non addita sit, recte tamen & juste ex mente paciscentium colligitur: simulac enim jus deficit, quod deficit, si principi a populo haud concessum sit, etiam obligatio a parte subditorum cessat tales actus, ex hoc perverso seu falso jure profuentes, legitimos agnoscendi, adeoque his parendi; plerumque delationi imperii tali modo limitati

(o) Uti fuit imperium Romanum sub Triumviris Octavio, Antonio, Lepido: sub Divis fratribus & sub Arcadio & Honorio, & rel.

(p) Uti videtur licet in comitiis generalibus in Hispania & Parlamentis in Gallia. V. Otto notit. rerump. C. 3. § 43.

(q) V. Otto loc. cit. proleg. Sect. 8. § 59. In Schol.

(r) Quid sit lex Commissoria, V. in Leg. 18. D. b. t. & I. C. Beccan-nus notit. dignitat. etc. dissert. 5. C. 1 § 2 — exemplum hujus datur apud Aragonios olim regem in clausulam Commissoriam jurejurando obstrin-gentes V. Otto loc. cit. C. 3 Sect. 6. § 50. in scholio, imo & in Dio-ce-si Trajectina simili lege adstrictus fuit olim Episcopus V. Utrechtse Pla-cath. T. 1. p. 30. ps.

mitati jusjurandum (s), quo princeps pacta, quibus limites illi inserti sunt, servare promittit, majoris cautelæ causa intervenit, attamen, quamvis hoc non adhibeatur, pacta suum effectum atque eandem obligationem fortiantur necesse est v. §. 4. Omne autem imperium limitatum non desinit simul esse summum (t), si enim limitatio cadit in ipsam facultatem, quod ad hanc quidem non solus nec independenter hac fungitur imperans, sed cæteris juribus majestaticis principi soli & independenter concessis haec nihil derogat, & eo respectu recte summus imperans dicitur (u): singula enim jura ante recensita per se objective summa sunt, & manent subjective, si qua talia cuidam subiecto deferantur: si vero limites versantur circa exercitium actus, ipsa jura majestatica usque ad hos limites independenter & solus exercet imperans, quos si excedat, aëta ejus non rescinduntur ab imperio tanquam superiori, sed irrita sunt ipso jure propter defectum juris, cui ultro per pactum renuntiavit. Clausulæ ante memoratae summitati etiam non obsunt: effectus enim ex jure, quod populus sibi per illas clausulas acquirit, non petendi sunt ex aliqua superioritate, uti Monarchomachi faciunt (v), sed ex æqualitate, quæ tum. cum princeps his contrarium faciat, populum inter & principem reddit, quatenus paciscentes semper sese invicem perfecte obligant ea, quæ aguntur, præstare, & nisi præstentur, illum, qui hac in causa perfidiam committit, alterum suis promissis stantem ab obligatione solvere (w):

præte-

(s) Formulae juram: Principum Imperat: & Regum variæ videri possunt apud Beccmannum Loc. cit. diss. 5. Cap. 1. § 2.

(t) V. Grotius de I. B. & P. Lib. 1. C. 3. § 16. n. 2. & Carmichael ad Puffendorf de off. hom. & civis L. 2. C. 9. § 5.

(u) V. Huberus de jure civit. Lib. 1. Sect. 3. C. 5. § 27, exemplum datur in Britannia V. Otto notit. Rerump. C. 4. § 39.

(v) Et quidem hoc argum. Constituentem superiorem esse constituto, quod non semper verum esse patet in servo, qui ultro sibi dominum elegit V. Hertius Diss. an summa rerum semper sit penes populum Sect. 3.

(w) V. Supra § 4; Grotius de I. B. & P. Lib. 1. C. 3. § 16. n. 2.

præterea possunt nonnulli articuli pactis illis fundamentalibus inserti illis clausulis subesse, qui etiamsi adjecti non essent, tam ex ipsa rei natura tacite profluerent, ideoque populo jus tribuerent, si ejusmodi exceptionibus contrarium ageret princeps, huic resistendi, licet hæ clausulis munitæ non essent, & hoc non provenit ex vi superioritatis alicujus, sed pacti seu expressi seu taciti (x).

§. VIII.

In deferendo itaque imperio populus versatur circa abdicacionem jurium, a natura perfecte ipsi competentium, quoad communem societatis civilis salutem vel restrictive, uti §. præced: vidimus, vel absolute: posterior autem abdicatio ita intelligenda est, ne in vitium vertatur (y). Imperium itaque seu regnum absolutum dicitur ad differentiam limitati seu ejus, quod expressis conditionibus restrictum est, & differentia in eo sita est, quod in delatione ejusmodi imperii, nullæ conditions præscribantur, sed imperium, nullis positis & expressis limitibus, imperanti deferatur, quæ omnia, uti vidimus, in imperiis limitatis secus se habent: imperium si absolute delatum sit, populo quoad regimen civitatis convenienter fini suo nullum jus reliquum est, & hoc delatum censeri debet, simulac populus hoc in actu nullum jus sibi expresse reservarit (z). Potest itaque summus imperans tali potestate munitus solus, licet prudenter consulere & eorum sententias tanquam consilia sequi ab ejus vo-

luntate

(x) Vid. Noodt de jure summi imperii & supra § 4.

(y) V. Puffendorf de j. n. & g. L. 7. C. 6. § 8. num populo licet potestatem civilem imperanti transferre absolutam, postea videbimus.

(z) V. Schelius de jure imperii p. 348.

luntate pendeat, nec summitati quid deroget (a), judicium ferre de iis, quæ totius civitatis salutem & securitatem respiciunt, nec non media, quæ optima censet huic fini destinata, adhibere (b).

Quanta autem potestas summo imperanti concedatur, nunquam tamen ita concessa intelligi debet, ut nullis omnino limitibus affecta sit: dantur enim a natura (c), quos si transgrediatur princeps, æque injurious fit, ac si expressos missos faciat: omnes res suos usus admittunt, sed etiam abusui subjectæ sunt: ipsum jus dominii, quod circa res versatur, limites suos naturales habet, ultra quos si abeat, ad abusum reddit. Imperium licet quam maximum concipiatur, ne herili quidem excepto, quamvis imperantium dominorum utilitatem præcipue & primario respiciat, nunquam non limites habet, & abusui subest. Negatis itaque limitibus naturalibus ponitur licentia omnia illa jura eminentiora eo dirigendi, ut a fine, ad quem tendere debent, abludant. Hinc principis utilitas publicæ anteponi facile posset, & sic sui causa in illo eminentiori gradu se positum crederet: nec bona nec existimationem nec libertatem nec vitam civium salvam manere tutum datur præsidium, sed omnia arbitrio imperantis subjecta sunt: nulla notio publici boni, quidquid bonum noscitur, a principis voluntate & utilitate dependet & civium animis tanquam publicum obtruditur, atque adeo vere servi constituuntur cives, imo proxime machinæ accedunt, cui nullum proprium principium agendi relinquuntur. Quo magis itaque limites naturales rejiciuntur, eo magis disceditur a notione justæ civitatis, quæ justa

(a) In Gallia Reges acta sua a Parlamento verificari volunt & nihilominus summi imperantes sunt V. Otto sæpius laud. Sect. 6. § 54. in scholio, Grotius de I. B. & P. L. I. C. 13 § 18.

(b) Exemplum regni absoluti habemus in Portugallia V. Otto loc. cit. C. 5. Sect. 6, § 31.

(c) Imo licet per externam vim acquisitum sit regnum V. Noodt de jure Sum. imp. Otto ad Puffendorf de off. hom. & Civ. L. 2. C. 9. § 5.

justa esse nequit, nisi finis justus ac bonus sit: hic autem justus est, si justitiae fruendae & utilitatis communis causa societas civilis contracta sit v. §. 1. in fine: posita autem justa civitate, ponit necesse est limites naturales, qui sic vocantur, quod ita necessario cum imperio civili coniuncti sunt, ut abesse nequeant, nisi simul hoc injustum & illegitimum sit & sic totum tollatur ac fundamento careat. Civile hoc imperium nititur, ut vidimus, consensu populi: status enim civilis homini haud naturalis sed adventitius est. Homines non necessario sed rationaliter determinantur ad statum civilem naturali præferendum, & hoc quidem præcipue patet, si attendamus ad statum naturalem, in quo omnes homines æquales sunt, & statum civilem, in quo inæqualitas locum obtinet: hoc tamen nihil prohibet, quo minus hic illi præferatur propter majus bonum in hoc, quam illo obtinendum: si itaque rationaliter, etiam voluntarie, & si voluntarie status civilis constitutus sit, etiam omnia, quæ hujus rectæ ordinationi conducere possunt, a consensu populi dependere debent. In constituendo itaque imperio ac imperante populus sponte ac voluntarie agit, quæ media optima saluti civitatis iudicat, decernere valet, ad quem gradum aut quoisque jura imperantis extendi debeant, ex voluntate sive expressa sive tacita populi metiendum est, & hæc posterior hic quam maxime in censum venit: actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, hæc autem hoc in casu juste colligitur ex naturali negotii, quod imperantem inter & cives agitur, & sine societas civilis, qui semper debet esse felicitas communis & securitas totius populi: omnia itaque media, quæ maxime huic fini afferendo conducere possunt, populum cupere, e contrario, quæ hunc destruunt, aversari sponte profuit ex hypothesi, quod salus populi sit communis quasi spiritus, id est quod unusquisque naturali instinctu fertur ad felicitatem suam conservandam & promovendam, adeoque populus tanquam collectio ex individuis, quæ tali modo affecta sunt & ex notione justæ civitatis: si itaque nulla potestas nisi ex consensu populi sive expressa sive tacita voluntate nixo fontem hauriat, nulla voluntas nisi bono com-

muni civitatis determinetur, etiam nullum jus ad imperium limitibus naturalibus destitutum imperanti adscribi seu concipi vel potest vel debet.

§. X.

Limites imperii naturales optime cognoscuntur ex harmonia finem inter & causam: finis, cuius causa hoc constitutum sit & jura illa eminentiora imperanti concedantur, est salus communis totius civitatis; haec itaque, quantacunque potestas sive major sive minor cuidam subiecto inhæreat, in omni justa civitate est quasi centrum, ad quod omnes actus jurium imperantibus concessorum vergere debent: haec salus in eo consistit, ut singulis sua jura sive connata sive acquisita tum ab injuriis internis tum ab externis illæsa serventur, si quæ singulis minuantur, publicæ seu communis utilitatis causa hoc fiat: felicitas singulorum, in quantum simul omnium seu plurium felicitati non contrarium sit, quam maxime promoveatur: singulis tandem jus seu facultas relinquatur sua jura, felicitatem, quantum hoc humana & totius civitatis securitas & utilitas permittat, augendi, promovendi: ab hac enim libertas naturalis uniuscujusque, qui membrum civitatis est, determinatur, & quod universe bonum ac utile est, hoc singulis etiam prodest, sic & e contrario, quod universe malum & noxiū est, singulis nocet.

§. XI.

Jura itaque singulorum ut ab injuriis internis tuta sint & officia, quæ jure naturæ quidem fundata, quoad homines non semper propter imbecillitatem intellectus humani perspecta, & quoad cives propter novas relationes novas leges requirentes deter.

determinanda sunt, impleantur, necessariae sunt leges sanctione poenali munitae, judicia (d): & illæ quidem justæ id est publice utiles, externas actiones, quæ sola humano judicio subesse possunt, determinantes, haud nimis subtile, subditorum cognitioni faciles, nec plures, quam securitas & felicitas publica exigat, ferendæ sunt: leges enim ferri non possunt sine diminutione libertatis civium naturalis, cui non renuntiatum est, nisi quantum publica salus hoc postulat. Ea, quæ antecedenter quidem indiferentia sed pro re nata maxime utilitati communicandæ conducederent, sancienda sunt: tales itaque leges ferendæ non sunt, quæ singulis vere noxiæ vel ejus solius, cui potestas hæc Legislatoria competit, commodi causa, aut paucorum commodo, plurimorum damno sunt, vel, quæ singulis illa jura, quæ abdicare illis moraliter impossibile est, admant: leviora etiam mala, quæ ex civium indole, temperamento, climate, moribus, consuetudinibus & cæteris accidentalibus profluunt, nimis acerbe non sunt cohibenda, seu per violentas leges eradicanda. Hoc enim remedium malo pejus esset; mitius circa hoc negotium versandum & lento gradu facilis malo medebimur: fontes malorum obstruere, mores moribus corrigere, & animis meliorem notitiam veri & falsi boni & mali sensim imbuere, aptius remedium esset. Praecepta iure naturæ fundata præcipue confirmantur, pœnisque positivis muniantur, atque inter has & legum transgressiones propria quædam seu æqualitas per mensuram quandam, sumptuosa gravitate vel levitate damni in civitatem redundantis, ad majus vel minus malum delinquenti infligendum, servetur, necesse est. In applicatione autem factorum ad leges animo a partium studio alienissimo, severitate per lenitatem temperata versari, pœnarum, si quæ crudelitatem saperent, facilem remissionem actibus forensibus interesse, faciles aures querelis læsorum patere, desideriis inanugustias.

(d) V. Heineccius de j. n. & g. L. 2. Cap. 2; Puffendorf de off. Hom. & civis Lib. 2. C. 7. & C. 12.

gustias redactorum, quantum fieri potest, adesse imperantem oportet: haud inconcinne relatio, quæ imperantem inter & subditos est, comparatur cum illa, quæ patrem inter & liberos datur, unde multa utilia præcepta deduci possunt. Magistratus, qui litibus dirimendis, legibus exsecutioni dandis, hisque auctoritatem servandis præponuntur, (omnibus enim vacare durum imo impossibile esset imperanti) ut bene officio fungantur, curandum est: in sententiis ferendis nec odio nec gratia trahantur, sed & sint habiles, jurisperiti, fideles, constantes, auri atque argenti fulgore nescii flecti, justi & æqui necesse est: justitia exacte culta maxime & primario vivam civium animis inculcat perceptionem, quam utile, quam necessarium institutum societatis civilis sit, & hinc facile & sponte inducuntur, licet nonnunquam publicæ utilitatis ergo duriora quædam subeunda sint, ad statum civilem illo naturæ præstantiorem agnoscendum, &, quod magis est, ad presentem reipublicæ statum tuendum, & a malo se cautius abstinentum. Cæteri magistratus seu ministri, quorum curæ aliquando publica negotia committuntur, convenienter fini, cuius causa constituti sunt, se gerant, &, simulac ab hoc deviant, justa remedia imo & poenæ adhibeantur, huic ipsi, cuius vice hoc in negotio versantur, curandum est: quatenus enim is, a cuius potestate pendet, illum, qui nomine ejus negotia gerit, vel removendi vel admittendi, male agentem non removeat, eatus omnia mala, quæ par talem efficiuntur, constituent tanquam causæ morali recte imputantur (e): quamquam leviores errores seu illi, qui quidem prudentiores fallere possunt, non semper nimis sunt attendendi (f).

(e) Arg. L. 109. D. de divers. reg. juris & L. 50. eodem.

(f) V. Heineccius de I. N. & G. L. 2. C. 8. § 181.

§. X I I.

Ad felicitatem, quæ in acquirendis & fruendis veris bonis veras voluptates gignentibus primarios accipit nervos, maximencessaria est religio seu cultus Dei (g): hæc optima est, quo maiorem melioremque cognitionem de divinis perfectionibus evolvat ac manifestet, quo plures virtutes felicitati consequendæ præscribat, & quo major sententiarum convenientia datur cum Divinis perfectionibus, tum ex recta ratione tum ex revelatione cognoscendis. Libertas naturalis, quod ad operationes mentis, quæ præcipue circa hoc negotium se exserunt, in societate civili integra manet (h): mens hac in causa non versatur circa voluntatem, ut ita dicam, sed intelligentiam seu perceptionem, circa cognoscendam veritatem: pro modo itaque perspicaciæ, virium intelligentiæ, cæterarumque facultatum mentis pro eo modo differunt homines sententiis circa religionem, semperque his conscientia comes est, eas, quas fovet, optimas esse: quapropter nec externa vi nec minis (i), sed rationis pondere errantes reducendi sunt in viam: nullus enim errat volens, error inscitiam sibi comitem habet, & hac sublata totus ille tollitur. Potestas itaque civilis circa religionem eatenus se exserit, quatenus actus hanc profitentium externe patent, & statum Reipublicæ mutant: quæcunque religio tales sententias in sinu suo foveat, quæ Reipublicæ damnosæ, turbas excitare aptæ sint, vel prohibeant, quo minus quis bonus civis esse queat, eradicanda est justis modis scilicet vel emendando eorum, qui erronea & noxia dogmata sequun-

(g) V. Peßel fundamenta jurispr. nat. § 190, C. F. Wegener dat de Godsdienst de ziel van een staat zy 1ste Hoofdst. 1ste afd. § 1, qui egregie hanc materiam tractavit.

(h) Hobbes tamen hanc potestati civili subjicit, de cive C. 15. § 17. sed V. Noodt De religione ab imperio jure gen. libera.

(i) V. Noodt loc. Cit,

sequuntur, intellectu, vel removendo illos, si refutationum argumenta nullum momentum relinquunt perversas has sententias missas faciendi, e civitate: varias religionum sociates admittere, dammodo in damnum Reipublicæ non tendant, huic expedit. Illa, quæ plures cæteris affectis habet, vel constitutionibus fundamentalibus tanquam optima excipiatur, majoribusque gaudet privilegiis, Dominans vulgo dicitur. Potestas civilis, ut hanc pro arbitrio mutare possit, non eo se extendit; hæc repræsentat, ut ita dicam, populum & vicem ejus gerit: quidquid agit, tanquam plurium voluntate agere censetur, si itaque plurium voluntas, quoad certam religionis sociatem manifesta est, hæc ipsius potestatis civilis haberi debet: etenim, quam primum voluntas totius civitatis, quæ majori numero sociorum inest, aperta sit, non est, quod in fictione seu repræsentatione quærat: summo itaque imperanti hac in causa tam ad expressas, quam tacitas conditiones, in deferendo imperio per pacta fundamentalia reservatas, respiciendum est: talem statum & conditio nem Reipublicæ, qualcm, dum imperium deferebatur, summus imperans invenit, populo placere censi debet, nisi enim placeret, status hic mutatus fuisset, adeoque hunc eundem summus imperans servare tenetur (k), nec etiam ratio Reipublicæ eo unquam procedere potest, ut hæc mutationem quoad religionem dominantem, subditis invitis, postularet, nisi talis sit, quæ obstat, quo minus finis civitatis obtineri queat. Plerumque summus imperans constituitur is, qui etiam dominanti religioni addictus est: verum licet hac in re populus & summus imperans dissentiant, nec expressæ conditiones quoad hoc negotium ipsi præscriptæ sint, dominantem tamen potiorem in illis privilegiis, quorum acquisitio jam possessione ante acceptum imperium confirmata sit, faciat, oportet: sed vero, si hanc falsas & animis subditorum noxias

(k) Et si subditis invitis hunc mutet, Tyrannus evadit secundum opinionem Anonymi in Tractatu de officio magistr. in subditos & horum erga magistr. Quæst. 10. pag. 300.

noxias opiniones continere persuasus sit, justis modis errantium intellectus emendentur, ipsi curæ esse debet. Jus circa sacra seu Ecclesiæ indistincte summo imperanti competit & ita necessario cum imperio conjunctum est, ut nexu illo sublato, vel Republica in Republica, vel saltem finis civitatis pene eludi posset (l): illud autem, quod Imperans præcipue tanquam primarium Ecclesiæ membrum exercet, collegiale vocatur (m), hoc ab ejusmodi Ecclesiæ membris amplius & plenius ideo imperanti defertur, quod majore facultate pollens, salutem Ecclesiæ promovendi, hanc promoteat.

§. X I I L

Necessitatibus quibusdam Reipublicæ subveniri non potest, nisi pecunia in medio sit: neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt (n): sicuti unusquisque civium obligatus est ea facere, quæ fini societatis civilis consequendo necessaria sunt, ita & aliquando a civibus onera quedam ferenda sunt: nihil enim justius, quam eum, quem sequuntur commoda, sustinere incommoda (o): optimo itaque jure in omni civitate tributa & vectigalia exiguntur, unde onera reipublicæ sustentari possunt (p). Ad quem autem modum, quibus in rebus, & quoisque injungi debeant, pertendum est ex utilitate & necessitate Reipublicæ: hæc justa mensura

(l) V. Heineccius sepius laud. L. 2. C. 8. § 183. V. L. 1. §. 1. D. de Colleg.

(m) V. idem Heinecc. loc. cit. Circa sacra nullum omnino jus principi sed omne illud viris sacratis tribuit Mariana de Rege & regis instit. Lib. 1. Cap. 10. pag. 88.

(n) V. Tacitus L. 4. hist. 74. n. 2.

(o) V. L. 10. D. de divers. reg. jur.

(p) V. Heineccius loc. cit. Lib. 2. Cap. 8. § 168. & Seq.

sura est, ad quam exactiones tributorum ac vectigalium recte rediguntur, quæ possunt extendi vel restringi, prout major vel minor indigentia Reipublicæ postulat: si ratio reipublicæ aliquando ordinaria majorem quantitatem exigat, vel pluribus solito rebus onera imponantur, a parte civium requiritur, ut labenter huic negotio subscribant, a parte autem imponentis, ut, si ratio cessa-
sat, etiam effectum cessare faciat, & hoc quidem maxime con-
ducit tum conferentibus tum imponentibus: horum interest po-
pulum in se fiduciam collocare, omnia, quæ licet quodammodo
& quoad externam speciem sint aspera & dura, in utilitatem
publicam & per reflexum in privatam seu propriam verti: hæc
autem fiducia vacillat, simul ac summus imperans hoc in nego-
tio nimis levis sit, & facile migrat in suspicionem, ac si pro-
prium imperantis lateat commodum, quo sit, ut subditi ægrius
permoveantur, quam si non, nisi summa necessitas adsit, onera
majora imponantur: persuasio fidelis administrationis pecuniæ
publicæ non leve momentum facilitati populi hac in causa su-
peraddit: contrariæ itaque opinionis haud locum dari, licet sum-
mus imperans, quoad actum hunc, nulli ad rationem reddendam obstrictus sit, quantum fieri possit, curandum est: moris
nonnullarum civitatum minime contemnendi est rationem aug-
menti tributorum seu vectigalium publice exponere, quod tamen
nihil derogat juri summo imperanti competenti, quatenus hoc ab
ejus arbitrio pendeat. Äqualiter autem pro ratione facultatum
subditos hæc onera ferre ratio postulat (q): äqualitas maxime
observatur, si rebus valde necessariis quam minime onera im-
ponantur, e contrario illæ, quarum usus universaliter non est
necessarius, magis onerentur necesse est: vectigalia circa mer-
ces importandas vel exportandas etiam non nimis sunt exag-
geranda, ne forte commercia impedianter, quorum cura etiam
præcipue habenda est, hisce enim vigentibus, plurimorum felici-
tas promovetur, qua propter multum conductit iis, qui maxi-
mam

(q) V. Heineicius loc. cit. § 180.

mam horum progressui navant operam, præmia constituere, ut & iis, qui nova artifacia suscipiunt, privilegia concedere, illis rebus, quarum commercium in novam speciem cadit, immunitatem præbere, fœderibus cum exteris augmentum commercii & armis huic securitatem præstare (r).

§. X I I I.

Inter media salutis publicæ consequendæ etiam recte annumeratur dominium seu imperium eminens (s), in specie sic dictum, quod in eo consistit, ut summus imperans præter ordinaria onera, a quibuscumque subditis ferenda, extraordinarium quoddam vel uni vel pluribus imponere possit, scilicet ut se suaque in utilitatem publicam verti patientur. Hoc jus eo nititur, quod omnes cives pro viribus felicitati & securitati communi, quæ finis consociationis est, & ad quam omnes proinde cives se perfecte obligarunt, studere tenentur: quod, si salus publica & privata simul consistere nequeant, illa huic præferenda sit: hoc itaque imperium etiam versatur circa personas, quæ publicæ saluti, hoc exigenti, omnibus omnino actionibus, imo ipsa vita non excepta, servire præsto sint, necesse est: quæ cum ita sint, eo magis imperium illud jure exercetur circa subditorum bona, quæ non tantum, si salus publica sed & voluptas communis in publicos usus, uti in ambulacris publicis nonnunquam ex agris privatorum conficiendis, verti requirit, his obnoxia sunt: publica enim ambulacra multum faciunt ad amoenitatem & sanitatem civium, quæ etiam felicitati conducunt: exteri eo magis alliciuntur ibi suas sedes ponere. Necessitas itaque non semper hac in renorma est,

ad

(r) V. Heineccius loc. cit. § 189.

(s) Melius dici imperium quam dominium eminens docet idem § 168. &c. Seqq.

ad quam hoc jus dirigendum est: æquitatis autem ratio postulat, ne unus civis plus altero prematur, sed semper, si fieri potest, communiter onera ferantur, quod quando per damni illati pro rata parte reparationem, refusionem, compensationem (t), fieri possit, illud seu ex ærario publico seu communi contributione reparatur, quod pro omnibus latum est, oportet (u). Hoc itaque jus summæ potestatis in abusum prolabitur, si summus imperans suæ privatæ utilitatis, aut jucunditatis (v) causa hoc exercet, contrarium enim esset fini, cuius causa hoc jus concessum est: quidquid usui privato summi imperantis conducere potest, justo modo, id est, quem jus naturæ & gentium præserbit, per contractum scilicet & justo pretio seu aliis justis titulis sibi comparare debet.

Saluti civitatis etiam non leve pondus cura scholarum & Academiarum, si hæc recte instituatur, addit: viri itaque artium scientiarumque eximii in pretio habendi, honoribus, salariis vel majoribus vel minoribus utilitatí vel majori vel minori, ex artium atque scientiarum instructione oriundæ, æquiparatis alliciendi & prosequendi sunt: præceptores & doctores eas artes ac scientias, quarum causa constituti sunt, fideliter doceant: noxiæ, bella litteraria & præcipue Theologica nimis subtiliter & acerbe instituta, quibuscum odia, invidia, divortia conjuncta sunt, arteantur, sed veræ, sanæ, piæ, & utiles doctrinæ animis eorum, qui curæ præceptorum traditi sunt, imbuantur necesse est: nam

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu (w).*

A notitia veri & falsi; boni & mali determinationes actionum huma-

(t) V. Grotius de J. B. & P. L. 2. C. 14. § 7.

(u) V. Huber de jure Civit. L. I Sect. 3, C. 6. § 44! Puffendorf de J. N. & G. L. 8. C. 5. § 7.

(v) V. Heineccius loc. cit. § 171.

(w) Horatius Epist. Lib. I. Ep. 2.

humanarum omnino pendent, si ergo hæ bonæ & justæ sint, ne
societas civilis turbetur, oporteat, necessario animi civium ita
formandi sunt, ut verum a falso, bonum a malo facile dignos-
cant, & hinc celerius momentum actionum suarum petere discant.

§. X V.

Reipublicæ regimen si tali modo regnantibus obversatur & jura
hæc majestatica cum suis limitibus exerceantur, non potest
quïn populi felicitas & securitas interna promoveatur, sed hæc
manca foret, nisi simul illa externa, cujus cura præcipue summo-
imperanti incumbit, adesset: securitas itaque externa si salva
erit, jura civitatis, cum injuste opprimantur vel denegentur,
etiam per vim, si necesse sit, defendenda sunt. In statu natu-
rali unicuique jus competit sua jura intacta servandi &, si quæ
violentur, defendendi, quod jus, quatenus cum salute civitatis
consistere nequeat, cuidam subjecto in omni civitate transferri
debuit, sub quo omnes vires justæ defensionis causa uniuntur, &
quæ illis, qui summum imperium tenent, ad hunc finem diri-
genda sunt: bellum itaque id est status per vim certantium, qua-
tales sunt (x), non justum est, nisi simul necessarium sit: violen-
tum hoc remedium nimis violentos effectus secum trahit, quam-
ut sine gravi causa suscipiatur: justum ergo bellum est, si jura
civitatis opprimantur, & ea, quæ perfecte peti possunt, dene-
gentur. Eadem autem cautelæ, quæ respectu uniuscujusque in
statu naturæ versantis observari debent, in defendendis & vin-
dicandis juribus respectu civitatis adhibendæ sunt: omniscivitas
& proinde is, qui eam repræsentat personam moralem gerens
relatione habita ad cæteras in statu naturæ versatur: quod itaque
ftric:

(x) V. Grotius de J. B. & P. L. I. C. I. § 2.

strictum jus attinet, nulla injuria ferenda est, non ometam en
vindicandas esse æquitas & prudentia docent: antequam eo pro-
cedamus, ut vi iis, quæ juste peti possunt, nec bono animo
conceduntur, potiri conemur, videndum 10., num privatio ho-
rum jurium, quorum petitionem vel defensionem instituturi su-
mus, nostram felicitatem & securitatem ita invadat, ut hæc
violentia & plerumque multis & maximis cum malis conjuncta de-
fensione digna sit: quapropter comparatio bonorum, quæ ex
violentia vindicatione bono eventu expectari possunt & malorum,
quæ hoc remedium comitantur, recte & juste instituenda est, &
prout hæc vel illa æquilibrium vincant, vel adhibendum vel re-
jiciendum est tale remedium, 20. num vires nostræ sufficient
adeo, ut bonum eventum probabiliter per tale remedium vio-
lentum sperare possimus, ne remedium securitatis & felicitatis
conservandæ aut promovendæ causa adhibitum transeat ad illud,
quo hæc potius destruantur: tales effectus juste metuendi sunt, si
viribus impares illis, qui lædunt, lædentes tamen adgredere-
mur. Necessarium ideoque justum est etiam bellum, si civitas
indirecte per socios, quibus per foedus quoddam in casu, quo
injuste peterentur, succurrere obligata est, vel vicinos injuria
oppressos, si hinc periculum propriæ securitati adferretur (y),
imo per omnes, quos summa injuria affectos ex imperfecta obli-
gatione propter societatis humanæ vinculum tueri tenetur, læ-
datur: bellum itaque haud necessarium neque proinde justum, nisi
respiciat bonum publicum: sui tantum, seu propriæ utilitatis
vel gloriæ causa, armis accingi tenderet ad abusum juris summo
imperanti concessi, nisi & simul publica utilitas & securitas hinc
promoveretur, alioquin prior semper posteriori cedere debet.
Ad securitatem reipublicæ multum conductit & prudentia poli-
tica dictat, tales & tantas militum copias ac naves bellicas, qua-
les & quantæ non tantum præsenti, sed & futuro ac inopinato
periculo removendo aptæ sint, comparari, ut belli & pacis-
tem.

(y) V. Heiniccius De J. N. & G. L. 2. C. 9. § 197.

tempore semper arma in promptu sint, ne dolis, machinationibus seu vi inopinata exterorum respublica petatur, sed foris cara, ac venerabilis sit.

§. X V I.

Sicuti in statu naturae singuli aliorum injuriis laesi, sed viribus laedentis adeo impares, ut bono eventu remedium ex suis viribus solummodo petitum malo adhibere non possent, per aliorum vires adjuvandi sunt, ita & summi imperantes simili in casu securitatem civitatis munire tenentur per pacta, & foedera mutui auxilii causa inita seu defensiva, uti dicuntur, quibus paciscentibus perfecta obligatio, si a tertio alteruter laedatur, laeso succurrenti imponitur, quæque sancta servari utriusque paciscentis semper interest.

Ad foedera itaque ineunda diversi populi seu imperantes accedunt, vel proprio motu sive interna necessitate, vel majoris mali evitandi causa: in priori casu securitas non solum momentum ad hunc actum suscipiendum esse debet, sed & utilitas, ac felicitas: quapropter talia etiam ineunda sunt, quæ jurium & bonorum possessionem subditorum confirmant vel ea amplificant, quæque commerciis conducunt & ad mutuam immunitatem tendunt: ad hæc cum nulla necessitate externa sed morali summus imperans determinatur, nihil, quod maxime noxiū effet civitati, promittendum, quanquam quædam jura cujusdam utilitatis consequendæ causa diminuere liceat, dummodo damnum, ex diminutione jurium oriundum, non excedat comodum, cuius causa diminutionem civitas pateretur, tunc enim nulla ratio nulla necessitas moralis adesset tale quid agendi: in stipulationibus summum imperantem utilius minus utili, id, quod plures, maiores, stabiliores effectus vere bonos ad felicitatem civitatis tendentes secum trahit, illi, quod paucos, minores, minus stabiles vel apparentes seu in se & vere malos post se linquit, præferre

ferre oportet. Quæ autem inter arma panguntur, diversæ conditionis sunt, si quidem populi hostiles per arma justè subigantur, tales stipulationes & cautions interponendæ sunt, quæ maxime conducunt felicitati & securitati populi vincentis, ita ut in posterum non facile injuriæ metuendæ sint, ac damnum, quod hinc cives passi fuerint, reparetur. Modus autem & fines duriorum conditionum, a victis nonnumquam subeundarum, petendi sunt ex securitate & vera felicitate vincentis, quos ultra si abeant, inhumanitatem & injustitiam saperent. Externa vero vis seu necessitas, si determinatio ad foedera ineunda sit, plerumque hæc inæqualia facit, quæ inæquales præstationes, quibus pars viæta semper obnoxia est, inducunt: summo itaque imperanti, si huic infortunio civitas subjecta sit, diligenter perpendendum, quid minus, quid majus sit malum id, quod subeundum est: num ad eas angustias respublica redacta sit, ut vel non acceptis conditionibus, licet quodammodo duris a parte vincente præscriptis, sive huic pereundum, sive libertas plane amittenda esset, vel his acceptis salva esse posset, tum certe id quod minus præferendum. Pro modo itaque periculi ab altera parte imminentis, & proportione hujus inevitabilitatis nisi per modum foederis inæqualis, pro eo modo & ea ratione conditions vel duriores vel minus duræ accipiendæ sunt, adeoque hoc tanquam iusta summi imperantis mensura est, ad quam præstationes inæquales, a parte victrice propositæ, redigendæ sunt: sed antequam his negotiis se accingat summus imperans, calculum virium suarum, & illarum oppugnantis, prudenter & justo, quantum fieri potest, modo subeat, necesse est, num his adeo impar sit hosti, & ita per infelices successus præliorum sint diminutæ, ut nulla spes amplius supersit hostes devincendi vel, saltem his bono eventu resistendi; ne forte vel per nimiam festinationem in eum casum reipublicæ causa deveniat, ut præstationes quasdam inæquales ferre debeat, quas latura non fuisset, si eventus bonos probabiles expectavisset, vel e contrario per nimiam dilationem pacis querendæ, ratio & status civitatis deterior fiat, & vires ita diminutæ sint, ut demum quasvis duriores conditions accipere teneatur.

§. XVII.

§. XVII.

Summi imperantis actionum norma, qua hominis, qua socii eiusdem societatis, qua omnibus superioris petenda est, ex— & fundamentum habet in lege naturali, cui idem obstrictus & semper est, nec potest non esse, nisi & simul desineret socius humanæ societatis, imo homo esse. Leges speciales, ex recta ratione elicendæ, plures ac majores sunt, quo plures majoresque relationes quis seu ad homines seu præter hos ad res externas habet: relatio, quæ imperantem inter & cives est, non minima earum, quæ inter homines obviæ sunt: ob multa officia imperanti incumbentia, propter majora & plura jura, quæ ipsi competunt, certe multa occasio delinquendi & a fine concessionis horum iurium deviandi (z) datur: humana imbecillitas his nimis offendit in scopolis, ut hoc assertum fundamento careret. Non multa itaque, ut verba Cl. Pestelii (a) mea faciam, possidentem principem, nec voluptatibus corporis affluentem, neque triumphis aut servorum splendide miseriorum alacri ministerio elatum recte dixeris beatum, sed qui hoc Dei munere, quod imperat, recte novit uti: ideoque princeps felicitatis cupidus, quæ obtineri nequit, nisi actiones convenienter regulis a Deo per rectam rationem promulgatis instituantur, adeoque bona comparentur, quorum recordatio nunquam poenitentiam adferre potest, non adeo jura sua quibusvis artibus augere studebit.

Ex relatione illa imperantis ad cives oritur norma specialis,— *Salus populi suprema lex esto.* — Hæc præter modos jam memoratos, quos si negligeret imperans, injustus, crudelis, illegitimus, Tyrannus, etiam per alios, quos si observaret, bonus, dilec-

(z) V. Schelius de libertate publica pag. 17. neque enim fieri potest, sit, ut suum animum non corrumpt illa licentia.

(a) Fundam. jurispr. nat. § 342.

dilectus, carus optimo jure habendus, promoveri potest ac debet. Ab injuriis tum internis tum externis civitatem salvam præstare non solummodo notionem imperantis optime officio suo fungentis absolvit: illius felicitatis tantæ, quantam res humanæ attingere sinunt, præcipue cura habenda est & habetur, quum civitas multis, stabilibus & veris bonis fruendo assidue progrederit: inter hæc ante omnia annumeranda venit felicitas singulorum civium. Eandem enim hanc affectionem, quæ partes quæ tales sequitur, toti inesse inficias ire haud licet: si singuli cives felices sunt, non potest non simul tota civitas felix prædicari: quo pluribus itaque gaudet civibus felicibus, & quo probabilior spes est hunc statum civitatis fore perpetuum, eo majorem gradum felicitatis consequitur. *Felicitas civilis, est status civilis, iucunda perceptione honorum, ex prudenti civitatis formatione & administratione redundantium, incommoda haud vitabilia compensantis & eorum, quæ suis viribus civitati conciliavit, aut conciliare conatur, recordatione ac studio gaudentis (b).* Felicitas itaque tum civium tum civitatis pendet ab his administratione, eaque prudenti, id est, ut bona vera a falsis optime discernantur, & ea quæ in speciem boni cadunt, sed in se vere mala sunt, rejiciantur: sic si nimis gloriæ cupidi rectores hanc peterent ex bellis injustis vel minus necessariis, felicitatem autem prudenti administratione promotam vera gloria sequitur: ut nulla bonorum genera excludantur, sed sedulo comparentur: quæcumque mala superveniant sive subitaneo remedio, si periculum inde metuendum hoc secum ferat, sive pedetentim per fontes obstruendos removeantur. Virtuti pretium statuatur, licet hujus pueritudo sola non semper mentem tlectit ad hanc amplectendam, studium imitationis tum non leve pondus priori momento superaddit, præcipue in iis, quorum ingenium minoris perspicaciæ est. *In eminentes enim intuentur viribus inferiores: ad illorum mores fingunt suos, perinde ac si essent eo meliores, quo sunt conspectiores. Emineant igitur, qui respubl. ad-*

mini-

(b) Cl. Pestel Fundam. jurisprud. nat. § 341.

ministrant & primum populi eo vitæ genere, quod cum forma imperii & cum bono cuiusque civitatis primario maxime consentit. Dent exempla amoris in civitatem puri vel certe puro proximi: virtutem habeant in pretio. — Est nobilis fons veræ jucunditatis esse bonum civem, quanto nobilior multos exemplo fecisse (c). Bona itaque quo plura, quo majora, quo stabiliora civitati comparantur, eo prudenter, eo gravior, eo felicior administratio civitatis: quo prudenter administratio, eo major fiducia civium in administrantem, eo major gradus amoris civium erga civitatem oriatur, necesse est: hunc cives colere summi imperantis maximi interest: studium omnibus suis viribus, quidquid civitati conducere possit, licet aliquando haud sine levi damno, efficiendi hinc profluit: non suum nisi & simul publicum judicant bonum nec appetunt: quæcumque incommoda haud evitabilia seu non sine majori malo removenda patienter ferunt, & cum commodis facile compensant. Momentum etiam actionum, quod ex amore in civitatem petitur, maxime differt ab illo, quod profluit ex metu mali seu vis externæ a superiore infligendæ: plus boni illinc in civitatem redundat. Totidem necessitates, quibus civitas afficitur, sunt totidem determinationes, quibus civitatem amantes ad his occurrandum feruntur: e contrario, qui metu determinantur ad illas actiones suscipiendas, quæ saluti civitatis tanquam necessariæ præcipiuntur, non ulterius in dirigendis his procedunt, quam quatenus hic validus sit, at in non præceptis, verum æque utilibus, frigent, indifferentes lunt.

Optimum momentum in dirigendis actionibus convenienter fini, cuius causa quisque hæc in terra positus est, est illud, quod ex viva cogitatione immortalitatis (d) ortum dicit. Hæc dicitur duratio mentis etiam post dissolutionem corporis & ani-

mæ

(c) Cl. Pestel loc. cit. § 335.

(d) Hanc evictam ponimus: argumenta peti possunt tum ex ipsa animæ natura tum ex virtutibus Divinis & regimine Dei morali. Fusius de his agere non licet, sed. vid. V. de Wynpers in Metaph. Part. Psycholog: & alios.

mæ vinculi, easdem affectiones retinens, ac in eo statu permanens, quo eadem sui & status praeteriti conscientia, consequenter voluptatum & dolorum capax sit. Cum itaque status futurus animæ post mortem pendeat a statu præsentí, sequitur proximo bonorum in hac vita comparatorium absolvit statum futurum, & quo majora, plura, stabiliora hæc sunt, eo majoribus, pluribus, stabilioribus voluptatibus animam corpori superstitem frui, ac proinde eo majorem gradum felicitatis consequi: bona autem hic dicuntur, quæ nos perfectiores reddunt: perfectiores reddimur, si fini, cuius causa creatifimus, satisfiat: fini autem satisfieri nequit, nisi regulas, quas Deus per rectam rationem præscripsit, quæque illi conducunt, observemus: convenientiæ actionum cum illis regulis semper comes est voluptas: quo plures actiones convenient cum regulis, eo majores, plures voluptates, & quo plures voluptates, eo major gradus felicitatis, quæ illis nimitur, comparantur: nexus itaque datur necessarius inter observationem regularum ac bona, inter hæc ac voluptates atque inter has ac felicitatem.

Momentum itaque hoc merito dicitur optimum, quod, ubi cætera non sufficiant, solum sufficit non tantum ad juste agendum, sed etiam virtutem assequendam, & præcipuam vim addit actionibus principum, seu eorum, qui eminentioris sunt conditionis, quorum actiones quum pleræque humano judicio, in foro tamen Divino omnes exæte inquirendæ, haud subsunt, nec semper coactionem admitunt, certe cogitatio immortalitatis actiones convenienter regulis, a divina voluntate profectis, eos instituere pellet, & nimiam licentiam nonnunquam propter excellentiorem dignitatem animis principum irrepentem cohibebit.

§. X V I I I.

Imperium illimitatum, si per hoc intelligatur tale, a quo limites naturales absunt, & per quod imperanti indistincte potestas in

in populum, cui nihil nisi obsequii gloria sive obedientia, sic dicta, passiva relicta esset, conceditur, & pleno ejus arbitrio sine conditionibus, licet non semper expressis, saltem tacite excipiendis, subjicitur, nunquam deferri debet nec potest. Populo talis facultas deest, nec princeps tale jus, quod fundamento careret (e) acquirere potest: cessante enim causa, cessat effectus: quod quis ipse non habet, in alterum transferri nequit (f). Hominibus a natura insitum est desiderium felicitatis, unde voluntas divina recte colligitur, hos non tantum esse sed & felices fore: felicitatis consequendæ causa certæ, immutabiles, perpetuæ, universales a Deo constitutæ sunt regulæ, has itaque negligere contrarium esset voluntati Divinæ; in quocunque statu positi sunt homines, obligatio quoad harum observationem perpetua est, quarum præcipua est: *conserva te, & jura tua viresque tuas augeas*: obligatio naturalis per statum adventitium tolli nequit: sed si principis arbitrio concedamos imperium naturalibus terminis non circumscriptum circa nos & jura nostra, atque pro lubitu de his disponendi potestatem, etiam in destructionem nostri & diminutionem virium nostrarum, majora jura alteri tribueremus, quam nobis ipsis in statu naturæ versantibus competerent: felicitatem negligeremus ac projiceremus: voluntas Divina violaretur: præterea finis societatis civilis, qui justus, si haec justa erit, ponitur, haud postulat, ut se totum populus cum omnibus suis juribus alterius arbitrio tradat: hic obtineri potest, si tantum illis juribus, quæ, cum referantur, publicæ & communi saluti adversarentur, renuntietur: status naturalis deseritur, ut jura hominum, quorum servandorum in statu naturali versantes non semper capaces erant, magis salva essent: absurdum itaque & remedium malo pejus esset, statum naturalem, qui per aliorum injurias turbari quidem potest, & in quo plena securitas obtineri nequit, verum tamen non omnino usu jurium suorum privantur singuli,

(e) Arg. L. 24. D. de rei vind. L. 7. Cod. de acq. poss.

(f) Arg. L. 54. D. de reg. jur. & L. 182. eod.

singuli, commutare cum statu civili, per quem jura civibus ademta essent, & hi in plenam servitutem redigerentur, imo morale quid esse desinerent: stimulus libertatis, non sine ratione animæ humanæ a Deo inditus, ab excessu hac in re detineret hominem, & libertas nimio pretio valet, creaturæque rationales cæteris animalibus nobiliore spiritu trahuntur, quam ut huic tam liberaliter, vel potius dicam, prodige renuntiaretur.

§. XIX.

Attamen non defuerunt, qui tale imperium illimitatum, cuius absurditatem & moralem impossibilitatem jam proposuimus, licite deferri autumant. Prima fronte nulli difficile videbitur, hanc pestem generis humani eradicari, ni omnia principia veritatis, æquitatis, & justitiae evertere conentur. Quidam vero, qui hæc castra sequuntur, subtilius & ingeniose hanc doctrinam seu contagionem propagarunt, quorum argumenta non satis attenuantem facile abriperent, & vacillare facerent, nisi periculum faciat principiorum convenientiæ vel discrepantiæ cum regulis Politicis Ethica vera nixis, & inter hos quidem referendus Hobbesius ille de cive.

Illi, qui errores hos fovent, plerumque Machiavellistæ audiunt (g) a nomine *N. Machiavelli*, qui quidem a nonnullis (h), haud serio animo sed satyrico modo librum de principe scripsisse refertur: ideoque rectius vocarentur Monarcholatræ, seu Hobbesiani ab *Hobbesio*, cuius liber de cive hujus sectæ affectam

eum

(g) De variis tum hujus tum alterius sectæ patronis vid. C. F.G. Meilte-ri Biblioth. j. v. & g. part. 2. pag. 50. & seqq. & fletius Diff. an summa rerum semper sit penes populum Sect. i. Heineccius de jure nat. & gent. lib. 2 § 136.

(h) Vid Christius de Nicolai Machiavelli vita, scriptis & Secta, qui prolixè de his egit.

eum aperte testatur: liceat hujus principia accuratius inquirere, dum Machiavellismus ex accidentibus refutari queat, qui hanc doctrinam continet: potestatem civilem imperantis nullis limitibus naturalibus esse circumscripam & sic imperanti in subditos, quod lubet, licere: & quidem Hobbesii haec sunt cap. 7. §. 12. Neque ergo Monarcha ullis se pactis cuiquam ob receptum imperium obstringit. Recipit enim imperium a populo; sed ut proxime supra ostensum est, populus statim, atque id factum est, persona esse definiet; personente autem persona, perit omnis ad personam obligatio. Praecipue revocandum est, quomodo civitas constituatur quæque in constituendo peragantur: fusi in antecedentibus de his actum est, ideoque nonnulla tantum attingere, quæ nostræ refutationi inservire possunt, lubet & licet. Conceditur, antequam imperium deferatur, civitatem vel populum esse unum quid & personæ vicem sustinere: quod enim non fuit non potest definire esse, & non entis nullæ sunt affectiones: per pactum illud primum omnes cives voluntates & vires suas ad certum & unicum finem conferunt, uniuntur & perfecte se obligant, unde societas & hinc unum quoddam morale, seu persona moralis. Omnis potestas civilis seu imperium suam vim ex hoc pacto acquirit, in illo fundatur, atque etiam unionem necessario sequitur propter nexum, quidatur inter hanc tanquam medium & finem societatis civilis, ad quem sine hac perveniri non posset. Si autem per delationem imperii dissolveretur unio seu pactum, etiam obligatio civium ad vires & voluntates suas certo & communis conferendas cessat: verum enim vero hac cessante, cui bono, ad quem effectum & unde tum imperium: hoc exercere circa populum, qui dissolutus est, cujus vires & voluntates non unitæ sunt, idem esset ac clavis sine navi. Manet itaque, postquam imperium in unum hominem collatum sit, populus unum quid, personæ vicem sustinens & proinde obligationis capax: atque hoc evicto, corruit simul illud dogma Hobbesii. — Monarcham nullis pactis cuiquam ob receptum imperium obstringi. Argumentum, quo haec propositio — populum, postquam imperium in unum hominem delatum sit, personam esse definere, — nitiatur,

tur, etiam falsum est: §o. proxime præcedenti unionem populi solammodo ponit in virtute summi imperii: multum autem abest, ut in hoc quæratur unio, sed in virtute pacti, quo invicem cives ad communem finem obligantur & uniuntur, quærenda est: distinguendum etiam est inter medium & finem nec hic cum illo confundendus: finis medium ratione ordinis, dignitatis & naturæ præcedere debet, rationem momentorum sufficientem actionum rationalium in se continet, & hoc illi subordinatum est: summum autem imperium non est id, cuius causa societas civilis contrahitur, sed felicitas communis, cui consequendæ & promovendæ imperium summum, tanquam medium huic destinatum, adhibetur: ad communem felicitatem cives obligantur per pactum, v. supra §. I. quod consensu nititur: consensus hic versatur circa unum idemque, ad quod omnium consentientium voluntates adspirant; consensus plurium circa idem ultro secum fert unionem: unio itaque populi in vi pacti nequaquam in virtute summi imperii quærenda est.

Monarcholatæ præterea provocant ad jus illud regium, quod priori libro Samuelis Cap. 8. §. 9. memoratur & ad causam & originem summæ potestatis, quam immediate Deo adscribunt: hinc hoc argumentum promunt: *imperanti summo non resisti poterit & omnia ipsi licere*, sed de his inferius dicendi erit locus.

§. X X.

E contrario imperium, licet expressis conditionibus non restrictum, sed naturalibus terminis circumscriptum jure a populo in personam a se diversam transferri potest: nihil enim interest, quomodo seu quibus remediis perveniat ad finem, cuius causa societates civiles constitutæ sunt, justa & legitima hæc sunt, simulac collineant cum fine, ad quem diriguntur: inter haec certe annumerare licet imperium hoc nullis expressis conditionibus restrictum, dummodo accipiatur cum illis limitibus naturalibus.

libus quorum §. §. præced. mentionem fecimus. A natura, uti diximus, qui modus, quæ forma regiminis optima sit, non definitum est, nec ex recta ratione, nec ex revelatione hoc elici potest: pendet itaque a populi voluntate, quomodo res suæ gerantur, seu illam, quam optimam censet formam, eligere, libertati renuntiare & sui suorumque regimen, quantum fini societatis civilis consequendo sufficienter judicet, in alterum transferre. Inter alios qui Monarchomachorum numero recensentur, & hanc doctrinam oppugnant, præcipue referendus R. Price, in quo refutando paucis morabor: contendit ille (i), *libertatem civilem esse beneficium seu jus, quod alienari nequit & populum hoc alienantem non liberum esse seu in statu servili versari*: libertatis civilis definitionem talem prodit. *De Burgerlyke vryheid is de magt, die eene Burgermaatschappy of staat heeft, om zig naar eigen goeddunken te bestieren, of ook, om zig te bestieren naar eigen gemaakte wetten, zonder gedwongen te worden tot het gehoorzamen der beveelen van eenige magt, die door het geheele iichaam des volks noch aangesteld noch met berichtschriften voorzien wordt, en voor welke het geen teugel in handen heeft* (k). Et certe si civitas arbitrio externo subjecta est ac legibus eorum, qui tanquam subiectum seu persona moralis diversi sunt ab illis, qui leges accipiunt nec per pactum primum confociationis uniti sunt, teneatur & regitur, non potest quin talis civitas haud libera sit, sed in statu servili versetur. Ex sequentibus autem nempe sect. 2. eruit licet, quomodo haec verba, — *de magt om zig naar eigen goeddunken te bestieren, of ook, om zig te bestieren naar eigen gemaakte wetten, — intelligenda sint: ibi haec ita explicare videtur, ut unusquisque ad leges ferendas concurrat, potestatis legis.*

(i) *Aanmerkingen over den aart der Burgerlyke vryheid, over de gronden der regering pag. 12 — 27.*

(k) *V. auctor laud. 1ste afd. pag. 4.*

legislatoriæ particeps, imo sūus ipse legislator sit, & hæc ipsa conficiunt, uti docet, notam characteristicam, unde dignosci queat, num civitas sit libera nec ne. Sed hæc definitio libertatis civilis, ita accepta, vitio laborat, & ipsum hanc in sequentibus evertere postea patebit. In omni societate, uti vidimus, necessario requiritur, ut quædam submissio ac cessio voluntatum illius partis, cui minor suffragiorum numerus adest, illis, quæ æquilibrium vincant, in dissensu circa res societatem spectantes admittatur: sic etiam in societate civili in omnibus, quæ communem causam respiciunt, idem hoc locum habet (hic verba, fieri de tali societatis civilis constitutione, qua exercitium omnium jurium majestaticorum penes subjectum commune sive populum sit, sponte intelligitur.) Ius itaque proprio standi judicio, pro ut hoc diversum est a jndicio & voluntate majoris partis societatis, hinc determinatur: adeoque in legibus ferendis, si quædam properter consensum majoris partis vim & auctoritatem accipient, dissentientes non tanquam causæ efficientes haberi possunt; ilias tamen nolentes volentes, quas ipsi tulisse dici nequeunt, obseruent oportet: quapropter, ut singuli cives in civitate qualemcumque regiminis modum adoptaverit, sui ipsorum legislatores sint, multum abest & moraliter impossibile est ex hypothesi omnium experientia nixa, quod in tanta hominum multitidine, inter quos diversi virium intelligentiæ gradus dantur, nulla spes est omnes ita perceptionibus, intelligentia, judicio, sensu, voluntate, ac cæteris viribus ingenii conspirare, ut nullus omnino daretur dissensus: proverbium etiam hoc vulgatum, *quot capita tot sensus adducta firmat: rigidam autem istam enuntiationem — libertatem civilem alienari non posse —* multum laxat, imo plane evertit *laudatus ille auctor pag. 8. sect.*
2. *in sequentibus*, sententia ejus eo redit, — si membra civitatis tam numerosa, vel si ejus discretæ partes ita dissipatae sint, ut singulos ad actos potestatis civilis exercendos concurrere impossibile sit, sponte diminutio libertatis hinc profluit, & remedium huic difficultati præbet per repræsentationem sic dictam

tam (l): sed hic jam concedit, quod alibi negat scilicet — libertatem civilem alienari seu diminui licite posse: si itaque mandatariis seu deputatis, ut ita dicam, potestas civilis committi potest & civitas nihilominus libera manet, nihil etiam prohibet, quo minus haec in omnibus regiminis formis, adeoque Collegio optimatum, imo uni personae physicæ salva libertate concedi possit: proinde, si in illa, quam ipse laudat ac probat, forma, quidquid per mandatarios intra limites concessæ potestatis peragatur, optimo jure habendum sit tanquam communis consensu totius civitatis factum, quare in cæteris hoc eodem modo haberi non posset? Eadem enim adest ratio: male itaque in cæteras regiminis formas invehitur, & omnes civitates, quæ secundum suam non reguntur doctrinam, arbitrio externo, coactioni voluntatis seu potestatis externæ ideoque servituti obnoxias esse statuit (m). Ast nec in Aristocracia nec in Monarchia populus externæ potestati recte dicitur esse subjectus: ipsum enim subjectum, cui potestas civilis inhæret, cæteris conjunctum est per pactum primum consociationis scilicet: præterea si haec vox externa eo respectu adhibetur & tum, quando populus ipse non capitativi potestatis civilis particeps sit, etiam regimen per mandatarios seu deputatos exercitum, quod probat atque commendat, externum dicendum esset: sed contrarium docuit *allegata* pag. 8. ergo nec in cæteris formis regiminis populus ab externa voluntate

(l) Verba ejus sunt loc. cit. Zy kunnen immers de Wetgevende magt onder zulke bepaalingen, als zy zelven raadzaam zullen oordeelen, toevertrouwen aan eenig getal van gemagtigden; en al wat door deze gemagtigden, binnen de paalen van die toebetrouwde magt verrigt word, kan zeer gevoeglyk aangemerkt worden, als geschied met vereenigd overleg en toestemming van de gebeele maatschappy — Op deeze wyze kan eene vrye regeering in de grootste Staten ingevoerd worden.

(m) Alle maatschappyen, ait pag. 4 — 8. 12, 20. & pluribus aliis, die niet door zig zelve (quod tantum in sua fieri forma prohibet) geregeerd worden door haer eigen wil en besluyten of door wetten van hun eigen maatschappien, maar als onderworpen aan het goeddunken van vreemden, aan den dwang van uitbeemischen wil of magt, zyn daarom in slaverny.

voluntate regitur, ideoque servituti non recte dicitur obnoxius.

§. XXXI.

Ex limitibus tum expressis tum tacitis cum imperio civili coniunctis recte & juste colliguntur jura populo reservata: hæc itaque invadi circa injuriam nequeunt: positis enim ab una parte juribus, ponuntur ab altera parte obligationes, ab illis ad has argumentum optimo jure ducitur. Omnium pactorum commune illud requisitum est, ut mutua data fides, quæ est conditio, sine qua pacientes se huic negotio non accingerent, servetur: hæc si ab una parte violetur, & alterius quam maxime intersit, quod impleatur, huic simul libertas ab ea recedendi relinquatur (n): regula autem hæc, cum strictum jus respiciat, non sine exceptione admittenda est, ne forte transeat in summam injuriam (o): præfertim si illa in pacto, quod cives inter & imperantem intercedit, adhibetur. In cæteris itaque juribus extra ea, quæ necessario, si finis societatis civilis obtineri poterit,

direc-

(n) Quod si vero conditionis implenda defectu contractus ipso jure solutus est, quis perjurum populum vocet, qui regi conditionem, quam implere debuit ac potuit, negligenti legemque, in quam juravit, violanti obsequium deneget hæc sunt verba I. Bruti sœpius laud. Q. 3. pag. 144. V. etiam Schelius de jure imperii pag. 335.

Zo balt ein prinz die gränzen seiner ibme beygelegten macht überschreite, zo könnte er auch nicht mehr begeben, das sich die unterthanen an ihre pflicht hielten, allermassen diese wann sie ihm zum öfftern, errinert auch wohl befugt wären, die Crone von seinem haupt ab zu nehmen, inveniuntur hæc in Gundlingii Ottis, 2 auflage C. 6. annm. über die disserr. der Palthenii von Greipsw. de Dchronizatione. Hoc autem argum. Th. Graswinkel de jur. majest. C. 9. pag. 128. diabolicum vocat & nulla lege Divina sancitum esse doce-re conatur.

(o) V. Grotius de J. B. & P. L. I. C. 4. § 2.

directioni & dispositioni summi imperantis relinquenda sunt, salvum populo jus defensionis est: horum diminutionibus & oppressionibus, si ratio reipublicæ postulat, resistendi, imo, si periculum in mora sit, violenta remedia adhibendi: in pacto ci-vico intercedit quidem renuntiatio juris defensionis a natura com-potentis, haud tamen promiscue seu quibuscumque in casibus (p) sed quatenus finis societatis civilis exigit, quem ultra cives se obligare censeri nec debent nec poslunt, cives enim jus non ha-bent renuntiandi obligationi sui suorumque defendendorum, si nulla gravior ac major ratio hanc cessare faciat: quapropter in-juria graviores manifestæ, seu, quæ uniuscujusque in oculos in-currit nec disceptationem admittunt, quæ toti populo aut pluribus inferuntur, etiam graviores paucis illatæ (q), si ex iis serius animus principis seu habitus contractus animadvertisatur jura populi violandi, non sunt ferendæ (r): omnis patientia-ratione hoc in causa cessat: publica salus inde non promoveretur. Summus imperans, qui ita circa subditos suos versatur, Ty-rannus (s), & quidem, uti plerumque distinguitur, administra-tione talis (t) evadit, qui tum recte tanquam hostis communis totius

(p) Quod tamen Hobbes de Cive C. 5. § 8. & 11. Contendit — *suam vim & potentiam imperanti deferendo nihil aliud agitur, quam de jure suo resistendi decessisse.*

(q) V. Schelius de jure imperii pag. 335. & Seq., Otto ad Puffend. de off. hom. & civ. L. 2. C. 9. § 4. & Z. Huber Diff. Lib. 2. C. 5. § 16. & 26.

(r) Non semper itaque procedit argumentum hoc — *Tyrannum minus malum esse bello civili*, Contra hoc agit Schelius laud.

(s) Quamquam hoc nomen non semper in malam partem sumptum sit, hodie tamen plerumque ita sumitur. Qui sint Tyranni V. Schelius de libert. publ. pag. 19, Mariana Cit. L. 1. C. 5. pag. 44. & Seqq. & C. 9. pag. 82. & Seq., Heineccius de j. n. & g. L. 2. C. 6. § 122. in scholio & Car-michael ad Puffend. de off. hom. et L. 2. C. 9. § 5, artes Tyrannicas v. apud Ariosteum Polic. L. 5. c. 11. pag. 653. & Seq. Definitioni au-tem, quam Huber de j. Civit. Lib. 1. Sect. 9. C. 2. præbet, consentire non auderem.

(t) Tyrannus administratione talis differt ab illo, qui titulo talis est, in eo

totius civitatis habetur, cui semper, prudentia tamen in consilium adhibita, resistendum est (u): tanquam talis etiam habendus erit, si expressas conditiones, sub quibus imperium accepit, missas faciat (v), imperium civile sine limitibus naturalibus usurpet, sive in despoticum transmutet, si quid Divinæ voluntati tum ex recta ratione tum ex revelatione cognitæ contrarium præcipiat, & hoc civium conscientiis summa ope atque vi obtrudere conetur (w), si circa curam reipublicæ se nimis negligenter p̄ebeat, & denique suam solummodo utilitatem ac libidinem ob oculos habeat, ut alter *Caligula* (x) clamet: *oderint dum metuant: utinam populus unam cervicem haberet, quam uno ictu præcidere possem!*

Facti quæstio in controversia est quis merito Tyrannus habetur, juris in aperto fas fore Tyrannum perimere (y) — melius autem dictum — reprimere, ut postea videndum erit. Disceptatio autem hujus rei, quis merito Tyrannus habetur, quæ remedia tentanda sint, non infimæ plebis seu fecis populi, sed majoris partis populi (z), hanc inter virorum dignitatibus spec-

ineo quod hic per subsequentem consensum justus & legitimus imperans fieri posse, quam diu consensus neque expressus neque tacitus fecutus fuerit, non minore jure huic resistitur. V. Grotius s̄epius laud. L. 1. C. 4. § 16. & promiscue unicuique hoc jus perverse concedit S. I. Brutus l. Cit. Q. 3. pag. 179. Tertium genus Tyrannidis datur, quod ab utroque memorato quid mixtum habet. Primi Neronismus, alterum Pisistratismus, tertium Phalarismus vocatur. V. Huber de jure Civit. Sect. 9. C. 1. Lib. 1.

(u) V. Z. Huber diff. Lib. 2. C. 5 § 25. pag. 241. & Seqq.

(v) V. Graswinkel C. 11. pag. 159. & Z. Huber. loc. Cit. § 247.

(w) V. Grotius de J. B. & P. Lib. 1. C. 4. § 1. n. 2.

(x) V. C. Suetonii Tranq. *Caligula* § 30.

(y) Mariana de Rege & Regis instit. L. 1. C. 6. pag. 60. V. Gundlighi Otia 2. aust. C. 6. über die diff. Paltbenii de detboniz. pag. 229. & S. I. Brutus vindiciæ contra Tyrannos Quæst. 3. pag. 149—150 — Nam Tyranni exercitio quid dicantur, non tam facile, ac quinam vere Reges definiri potest, cum injuria nullis casibus definiri possint, quin perpetuo plures omittantur quam explentur.

(z) V. Z. Huber Diff. lib. 2. C. 5. § 29 — Consensu majoris partis populi non posse dissolvi imperium putat Hobbes de civi C. 6. § 20. sed hæc nituntur Hypothesi, quam supra refutavimus § 19.

specabilium & honoribus eminentium judicio (a), vel in re-publica mixta ordinibus seu collegiis, quæ aliquando hujus rei causa constituta sunt, committenda est (b): hi enim nexum & rationem reipublicæ melius perspectam habent, sustinent & ipsi pro parte reipublicæ curam.

§. XXXI.

In hac autem causa adeo momentosa caute procedendum est, ne remedium mali removendi causa adhibendum nimis subito, ubi lento gradu melius scopum attingere licet, petatur, sic & e contrario, ubi pedetentim malo medendum esset, celerius remedium adplicetur, sed & ne hoc aliquando pejus sit ipso malo: plerumque enim in tali statu civitatis non potest, quin factio-nes, quæ intestina bella, tumultus, cædes, cæteraque mala, quæ experientia nimis testatur, ut inficias ire liceret, secum trahunt, orientur: præcipue circumstantiæ & tempora inspicienda sunt, num præsens ratio & status reipublicæ ultimum aut violentum remedium adhiberi postulet (c): prudentia etiam hac in re dictat prius leniora remedia tentanda esse quam ad extrema procurrendum (d), per amicas scilicet admonitiones & cætera, quæ

(a) Eos, qui summas tenent, solummodo Dei judicio subjiciunt Heineccius de j. n. & g. L. 2. C. 7. § 130. & 132, Bochart epist. pag. 68. & Th. Graswinkel C. 1. pag. 3. sed V. Noodt de jure summi imperii.

(b) V. Anonymus in tractatu de jure magistr: in subditos & officio sub-ditorum erga magistr. Quæst. 6. repet. pag. 265. & Seqq. Schelius de jure imperii pag. 338.

(c) *Fustissima defensionis causa est, ubi iniqua aliorum dominatione ad extre-ma libertatis est deuentum, maxime autem tempestiva est defensio, ubi omnibus utrimque expensis iniquius tempus quidem pro ea defecturis non autem æquius quam præsens potest effervi.* V. disquisit: Polit: Cas. 3.

(d) V. Mariana de Rege & Regis instit. (sicut hic inter Monarcho-machos refertur) Lib. 1. C. 6. pag. 59 & Z. Huber diss. L. 2. C. 5. § 28.

quæ efficere possent, ut summus imperans in lœdendo pedem fit
gat & in officiis contineatur: regula itaque hac in re constituen-
da est, — si tales & tantas injurias civitati infert summus
imperans, ut his latis publica salus salva esse nequeat amplius &
proinde civitas pessumdetur, imperantem potestate sua privandi,
imo, si securitas publica postulat, vi armata expellendi (e),
licet hoc cum nece (f) imperantis Tyranni conjunctum sit,
populo jus competere; quamquam raro & ægrius eo devenien-
dum sit, prius enim remedium plerumque sufficit & fini satisfa-
cit, per modum tamen justæ defensionis ad posterius profilire li-
cet: nexus talem imperantem inter & populum solvit & po-
pulus ipsius respectu in statum naturalem revertitur (g).

§. XXXII.

Sacrae litteræ huic doctrinæ non contrariantur: quod apud
Samuelem I. C. 8. §. II. invenitur & adversarii pro jure vero
accipiunt, non qua tale habendum est, nec legitimam faculta-
tem, qua rex salva sua conscientia fungi posset, innuit: hoc
patet tum ex exemplo Achabi (h) peccantis, cum Nabotho
vineam

(e) V. S. I. Brutus loc. cit. pag. 165. & Schelius pag. 352. & seq.

(f) V. Huber de jure Civit. Lib. I. Sect. 9. C. 4 — hoc autem negat
Schelius saepius laudatus pag. 344. & seqq.

(g) Schelius Cit. pag. 346. ait — *si jam superiorem principem concedamus
non utique nisi in illis superior est, quæ spectant ad finem civitatis, non in ma-
nifestis facinoribus, quæ saluti civitatis contraria sunt: par igitur imo superior
& major in eo populus — Quanquam hoc jus potius ex æqualitate quam ex
superioritate derivandum sit V. Supra § 4., uti Monarchomachi faciunt
hoc arg. quod ex finis nobilitate populus, cuius causa summus imperans
constitutur, eodem superior sit. Hoc tamen non semper procedere patet ex
pupillo, qui sub tutela est.*

(h) Vid. I. Regum. Cap. 21.

vineam suam eriperet, tum quod plane diversa præcipiuntur ubi de officio pii & justi principis agitur (i): non est quod cum aliis (k) omnis difficultatis submovendæ causa ad tales confugiamus explicationem, qua hoc jus tanquam jus externum habetur, cujus exercitium, licet interno contrarium sit, alter, qui hinc injuria non afficitur, prohibere nequit, cui proinde perfecta incumbit obligatio, eum, qui hoc jure gaudet, in illius usu immunem linquendi: quapropter potius nostræ interpretationi Belgicæ, qua hoc jus tantum innuit modum agendi, uti eadem hæc vox 1. Samuel Cap. 2. §. 13. ita adhibetur, adhæreamus necesse est: modus autem ille describitur & populo Israëlitico proponitur tanquam malum, quod cum imperio regum coniunctum esset & bonum, quod populus ex regimine regio quam maxime desiderabat, valde superaret: malo vero huic nullum remedium adesset, non ex jure, quo hoc licite agebat Rex, sed propter contemptum Theocratiæ hoc tanquam poena suæ levitatis populo Hebraico subeundum esset. Nec quod horum Deus præfigium edi curaverit, nulli in posterum regum Israëliticorum ullum sibi jus inde haurire licebat: alia enim est voluntas Dei decernens, alia jubens, hæc hac in causa nullo modo se exserit & plane sileat, nec illa ulli normam constituit unquam: sive itaque hoc jus sit factum nudum, sive minus, ita ut effectum aliquem juris habeat, id est non resistendi obligacionem (l), nulla causa adest, cur adversarii hunc singularem causam in universalem traducant rationem seu regulam: delicta enim suos tantum tenent auctores (m): quapropter idem illud jugum

Hebræis

(i) Deuteron. Cap. 17. § 15.

(k) V. Doctissimus I. G. Wickers Dissert. Historico Polit. jurid. de Tribus Polit. fundam. in omni repub. caute vitandis erroribus &c. Cap. 4. Sect. 1. § 4.

(l) Ut censet Grotius de J. B. & P. L. 1. C. 4. § 3, huic vero adveriantur Barbeiacius ad eund. Loc. & Böhmerus introd. in jus publ. univers. P. Spec. Lib. 1. C. 5. § 4.

(m) Arg. L. 155. D. de reg. jur.

Hebræis impositum aliis populis injiciendum fore maximam saparet injustitiam (n).

Nec etiam contrarium quid adferri potest ex *Epistola Pauli ad Romanos Cap. 13.* in principio — non enim est potestas nisi a Deo, ubi vero hæc est, a Deo ordinata est. Itaque resistens potestati, Dei ordinationi resistit, at resistentes sibi ipsis damnationem accipient. — Male autem ex hoc loco eruitur (o) tum Deum immediatam majestatis sive summæ potestatis causam esse, tum his nunquam obſisti debere: hæc sententia ortum habet partim ex nimia ambitione eorum inter ethnicos, qui imperium tenebant, ut eo melius ac justius jugum illud quasi Divinitus concessum, hominibus imponerent, quibus accedebant artes illæ sacerdotum, qui inde suæ ambitionis fulcrum & implementum quæabant ac inveniebant, hanc sententiam, oraculis, testimoniis, unctionibus, populo inculcantes firmantesque imo tanquam fidei articulum tuentes: partim ex nimia veneratione, quam Clerus Romanus vicario sic dicto Dei Pontifici Romano adscribebant, qui proinde jus conferendi majestatem habebat, eique potestas in omnes imperantes competebat: inadæquatum etiam veneracionis studium in imperantes alios in hanc sententiam traxit: alii vero prava S. Scripturæ explicatione eo devenerunt (p), quibus cum posterioribus nobis hic nunc negotium erit. Quod itaque ad prius illud, quod ex loc. alleg. Pauli adversarii promunt, attinet, nulla ibi fit mentio originis majestatis immediatæ, sed ordinationis potestatis sive superioris sive inferioris semper a Deo petendæ id est Divinæ providentiæ subjectæ: locus allegatus Pauli per textum qui invenitur in *Epist. Petri cap. 2. §. 13.* explicandus est, ibi potestas civilis creatura humana habetur: externa specie hæc sibi invicem contraria videntur, sed conciliantur

(n) V. Hertius in Comment. de jurisp. univers. Sect 2. § 13.

(o) Uti faciunt Bochart epist. pag. 68. & Th. Graswinkel de jure maj. C. 1. pag. 3. & alii. Sed. V. Noodt de jure sum. imp. Price nadere aanm. over den aard der Burg. vryheid pag. 26.

(p) V. Treuer ad Puffend. de off. hom. & Civ. Lib. 2. C. 6. § 14.

tur, si Deum ut causam primam omnium attendamus & causam secundam, quidquid hac in re agat, sine prima effectum producere non posse, & per hanc regi. Recte itaque potestas ordinatio & Divina & humana dicitur quatenus, prima causa secundam ordine, natura, dignitate præcedit & determinat, atque causa causæ etiam est causa causati per hanc orti: præterea immediatum Dei regimen totum locum habet, quando Deus mutationes in mundo efficit vel absque causis secundis vel has potenter ita flectendo, ut aliud aliterve agant, quam egissent, si in naturali unice dispositione ad agendum Deus illas conservasset & promovisset (q): num vero in constituendo imperio tale regimen animadvertisatur conferenti regimen hoc immediatum Dei cum modis, quibus civitas constituitur, remediis, quæ hujus finis consequendi causa eliguntur, adhibentur, diversis rationibus imperii civilis deferendi, & denique natura potestatis civilis patebit: pluribus de his agere non lubet nec licet, ne ambitus dissertationis nimis extendatur: inspiciantur, qui fusius de his egerunt (r). Cum itaque nulla ratione ex allegatis sacræ scripturæ locis Deum potestatis civilis immediatam habendum esse causam probari potest, etiam argumenta, quæ sumta propositione nituntur, non recte procedunt — summo nempe imperanti ideo resisti non oportere: verum forte adversarii regererent: sive mediatus sive immediatus sit origo potestatis civilis, huic tamen resistere prohibetur & resistentibus malorum minæ inferuntur & fundatum hujus prohibitionis in eo ponitur, quod qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt: sed hic tantum ad eos, qui sine jure resistunt, prohibitio directa est. Hanc etiam regulam non omni exceptione majorem esse patet ex sequenti §. 4. ubi hæc dantur. — *Dei enim minister est tibi in bonum.* — Hæc in argumenti modum vertuntur, ut subditi obedientiam præstent, si itaque potestate civium malo id est non convenienter fini, cu-
jus

(q) V. Vde wynpers part. Cosmolog. C. 6. § 1076.

(r) V. Hertius in diff. de modo constit. Civit. Sect. 2. § 3, Pussend. de jure nat. & gent. Lib. 7, C. 2. § 3. & Seq.

ius causa potestas hæc constituta est, imperans fungitur, obedientia juste negaretur, nec imperans minister Dei tum recte haberetur adeoque cessaret ratio non resistendi. Dissentientes etiam omnem omnino patientiam toties in sacris litteris commendatam scilicet — *crucem subeundam esse* (s), adeo urgent, ut doceant iniquo imperio civili numquam resisti oportere, quasi majorem cæteris patientiam a Christianis præstandam esse necesse sit: sed verba alleg. accipienda sunt de patientia in ferendis illis, quæ vitari non possunt & majora mala sequerentur, si remedia illorum removendorum causa adhiberentur: nullo enim fundamento perhiberi potest, coecam hic indigitari patientiam; Christus non fuit novus legislator & si fuisset, haud tamen tales leges ferre potuisset, quæ naturæ nostræ & Legi Divinæ naturali contrariæ forent. Ex effectibus Dei voluntas ipsius cognoscitur; hominibus autem desiderium sui defendendi & felicitatis, quæ certe nimia patientia non promoveret, indicit fortissimum, quod frustraneum foret, si illis malis, quibus amovendis justa adsunt media, mederi non liceret. Nec etiam ullum præsidium datur in Matth. Cap. 10. §. 23. — quod Christus tantum fugam concedit persecutionem sobeantibus: verba sunt — *quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, sed hoc præceptum tantum ad Apostolos directum est (t), urū ex nexu patet cum præcedentibus & hoc quidem extendi potest ad singulos in civitate homines quibuscunque in casibus, si nullum melius remedium adsit, mali depellendi.

Nimis etiam probant & propterea nihil, si vitam Christi hac in causa tanquam exemplum ponant, omnia enim quæ in ejus vita occurserunt legem non faciunt (u), licet tamen, quoad lenitatem & patientiam in iis, quæ vitari nec possunt nec debent, Christum sequamur oporteat.

§ XXIV.

(s) V. Matth. Cap. 10. § 38. C. 16. § 24. Marc. C. 8. § 34. Lucas C. 9. § 23. C. 14. § 27. & alibi.

(t) V. Barbeiracius ad Grotium de J. B. & P. Lib. I. C. 4. § 7. n. 8.

(u) Grotius de J. B. & P. L. I. C. 3. § 3. n. 8. & L. I. C. 2. § 8. n. II.

§. X X I V.

Altera & priori opposita regula est — si injuriæ tales sint, quæ nihil prohibent, quo minus finis primarius obtineri queat, ab ultimis & violentis remedii potius abstinentum est, quam ut his adhibitis plena confusio & turbæ sine necessitate inducantur: pertinet itaque hæc regula ad injurias modicas (v), apparentes, dubias, seu illas, quæ ab omnibus tanquam tales non habentur: error hic plerumque inde ortum habet, quod non satis distinguatur inter utilitatem veram & apparentem & vulgus in eam facile prolabitur opinionem injuriosius se gerere imperantem, si quid propriæ utilitati singulorum contrarium statuat, dum simul utilitas publica, cuius causa privata aliquando diminutur, exinde redundatura non respicitur: sed quid miremur: non omnem rationem & nexus reipublicæ perspectum habet & proinde, quod in præsenti bonum est, quod tamen respectu status & rationis reipublicæ futuræ malum esse potest, plerumque sequitur atque e contrario quod in præsenti malum est, dum hoc tamen respectu status reipublicæ futuri bonum esse potest, fugit: quapropter, si promiscue ob quasvis injurias & nonnunquam eas, quas cives in errore versati tanquam tales, quæ tamen rite & recte perpensæ pro iis minime habendæ sunt, respicerent, imperanti resistere liceret, hic male haberetur, quod convenienter officio suo se gerat.

Præterea dicta regula respicit injurias leviores, eas, quæ singulis vel paucis inferuntur, graviores, si harum repulsio majus malum efficeret, hinc si civi cuidam jus quoddam perfectum de- negetur aut violetur ab imperante, non statim proscriptum est ad violentia remedia (w), omnes cives tenentur ad salutem publicam

(v) V. Otto ad Puffendorf de off. hom. & Civis Lib. 2. Cap. 9. § 4.

(w) V. Schelius de jure imperii pag. 336. & 473.

blicam, quantum in se est, omnibus suis viribus ne vita quidem excepta, promovendam, conservandam, ac si publica salus & privata simul consistere nequeant, illa huic præferatur oportet: singulorum enim privata salus salva esse non potest, nisi publica salva sit: dum e contrario publica absque privata alicujus salute consistere possit imo aliquando promoveri: et licet relationem Imperantis qua talis ad civem læsum injuria allata cessare concedatur, illa tamen mutua civium inter se & inde redundans obligatio integra & salva manet, nec, quod in aliqua parte noxius sit, toti seu civitati simul inutilis erit (x). Injuriæ itaque aliquando ferendæ sunt non quidem propter inferentem (y), sed obligationem, qua cives omnibus suis viribus publicæ saluti stude-re tenentur & quidem tum, cum vindicatio injuriæ magnum damnum, dissimulatio vero multum commodum adferret civitati: maxime conductit, ut momentum ad actiones his regulis convenienter instituendas vivax sit, si imperantes simul homines esse cogitetur, multaque mala meliorum interventu (z) & pluribus commodis compensari.

T A N T U M.

(x) Non statim res deficit cuius utilitas aliqua in parte deficit, ait Gratius de Jure B. & P. Lib. 2. Cap. 1. § 9.

(y) V. Z. Huber diss. Lib. 2. Cap. 5. § 14.

(z) V. Tacitus lib. 4. histor. Cap. 74.

THESES.

I.

Status hominum naturalis oppositus statui civili non est fictio.

II.

Statui naturali multis modis præstat status civilis.

III.

Quot homines ad civitatem requirantur, non recte desiri potest: tot esse sufficit, quot ad finem civitatis obtinendum requiruntur.

IV.

Qui nati sunt in civitate, ejusque socii manent, postquam adoleverint; hi non ex præsumto sed ex tacito consensu cives fiunt, & obligantur ad civitatis fines promovendos.

V.

Nulla jura sibi Imperans legitime attribuit nisi consensu populi nixa.

VI.

Imperium civile nullis limitibus circumscriptum nullum populo jus transferendi competit.

VII.

Imperium temporarium vel limitatum potest esse summum.

H

VIII.

VIII. H T

Princeps Legibus Civilibus non recte dicitur solitus.

I X.

*Juri naturæ hanc congruum est hostes devictos occidere,
neque in obnoxiam servitutem obtrudere, si quidem alio
modo periculum ab ipsis imminens caveri potest.*

X.

*Pendet ab arbitrio cuiusque populi, utrum illis, qui tran-
situ opus habent, hunc concedere velit per suum territo-
rium nec ne, contra Grotium de J. B. & P. Lib. 2. C. 2.
§. 13. Quapropter ob solum transitum negatum Emo-
ræis justum bellum illatus non fuisset Moses Num.
C. XXI. §. 21. sqq.*

X I.

*Condicio surtiva contra hæredes in solidum datur, licet
nihil ad eos perveniat.*

X I I.

Pater filiam locupletem dotare non tenetur.

X I I I.

Querela inoff. testam. est species petitionis hæreditatis.

X I V.

*Si testator prohibuit inventarii confectionem, necessitas red-
dendarum rationum tutori vel curatori remissa non in-
telligitur.*

X V.

XV.

DISSESSATIO CHAUCERIANA.

X V. LITERARIA

In restitutione in integrum duplex haud intervenit iudicium, rescidens nempe & rescissorium.

X VI.

Litis contestatio non aliter quam negative ex parte rei fieri potest.

X VII.

Bonæ fidei ædificatori ex sua materia in alieno solo, non possidenti, nulla altio nomine pretii, materie, aut impensarum, in jure prodita est.

X VIII.

Minore contra additionem hæreditatis restituto convalescit substitutio.

X IX.

Commodatarius ob impensas necessarias, in rem commadatam factas hanc ipsam retinere potest.

ERRATA

Pag.	6 l. 12	pro pro ut	lege, prout
—	10 in nota	— Gærciam	— Græciam
—	12 l. 18	— illa	— illud
—	15 l. 22	— hæc	— hæ
—	17 l. 10	—	— dero
—	ibid l. 11	—	— fi
—	32 l. 1	— om etamen	— omnes tamen
—	36 l. 27	— puchritudo	— pulchritudo
—	44 l. 14	— jndicio	— judicio
—	46 in not.	— Ottis	— Otis
—	ibid.	— auflage	— auflage
—	ibid.	— Dthronizatione	— Dethronizatione
—	47 l. 14	— sen	— seu
—	ibid. in not. 1	— resiflendi	— resistendi
—	ibid. in not. 4	— Polic.	— Polit.
—	53 l. 28	— seqeunti	— sequenti
—	ibid. in not.	— jurc.	— jure
—	35 l. 3	— potuis	— potius
—	ibid. l. 11	— diminutur	— diminuitur
—	ibid. l. 24	— inferuntur	— inferuntur
—	56 in not.	— deficit	— deficit